MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80404-17

AUTHOR:

STARKE, HERMANN

TITLE:

...COMMENTATIO DE ISOCRATIS...

PLACE:

POSEN

DATE:

[1856]

Master Negative #

91-80404-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Starke, Hermann

... Commentatio de Isocratis orationibus Πρὸς Καλλίμαχον et Περὶ τοῦ ζεύγους, scripsit Hermann Starke ... Posen, Decker, [1856]

21 p. 26 cm.

At head of title: Zu der öffentlichen prüfung der schüler des K. Friedrich-Wilhelms-gymnasiums zu Posen ... 1856 ladet ... ein A. G. Heydemann...

Volume of pamphlets

39175

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35M REDUCTION RATIO: 13X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12/27/91 INITIALS RD


FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202











MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

des

Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums zu Posen

am Dienstag dem 18. März 1856

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

A. G. HEYDEMANN,
Director und Professor.

Inhalt:

1) Commentatio de Isocratis orationibus *πρὸς Καλλίμαχον* et *περὶ τοῦ ζεύγους*. Scripsit Hermann Starke, Dr. Phil.
2) Schulnachrichten von Ostern 1855 bis dahin 1856. Vom Director.
3) Anhang: Ueber den dem Gymnasial-Unterricht vorhergehenden Elementar-Unterricht. Von Karl Hielscher.

POSEN,
gedruckt in der Königlichen Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

COMMENTATIO

de Isocratis orationibus *πρὸς Καλλίμαχον* et *περὶ τοῦ ζεύγους*.

Interpretationem Isocratis orationum judicialium, quam Benselerus (Isocr. opp. vol. I. et II. edit. Lps. 1854.) se scripturum pollicitus est, quum in medium prolatam nondum habeamus, alius interpres, qui debitam his orationibus operam navaret, quum non exstiterit: non supervacaneam prorsus operam subire mihi videtur, qui collectis ac perpensis iis, quae ad singularum orationum explicationem pertinentia in variis hominum doctorum libris dispersa reperiuntur, aditum ad eas recte percipiendas planiorem reddere conetur. Elegi orationes duas *πρὸς Καλλίμαχον* et *περὶ τοῦ ζεύγους* inscriptas, de quibus ita commentari institui, ut de litibus, quas Isocrates in his orationibus tractavit, quoad fieri posset, accurate explicarem, res judiciarias praecipue, quatenus necessarium esset, illustrarem, rerum politicarum, ubi res ferebat vel causarum condicio postulabat, ratione habita. Id quidem ingenue mihi confitendum est, me non protulisse novas quasdam de rebus gravioribus et adhuc inauditas sententias: hoc tamen libenter mihi persuaserim, hanc meam qualemcunque opellam ad orationes, quas mihi sumpsi, facili negotio legendas et perspiciendas non omnino inutile praebituram esse adjumentum.

ORATIO ADVERSUS CALLIMACHUM.

Si quidem constat Isocratem scripsisse orationes forenses revera eum ad finem, ut coram judicibus haberentur,[1]) profecto prae ceteris oratio „*πρὸς Καλλίμαχον*“ in harum numero est habenda. Variae enim.

[1]) Isocrates ipse in orat. de permutatione §. 3. cf. 38. gloriatur se semper et scribere et dicere studuisse non de causis privatorum, sed de rebus gravissimis et amplissimis, et Aphareus, Isocratis privignus, teste Dionys. Halic. de Isocrate c. 18., in oratione de permutatione contra Megaclidem scripta professus est „*μηδεμίαν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπόθεσιν εἰς δικαστήριον γεγράφθαι.*“ At vero haec ad illud tantummodo tempus referenda sunt, quo Isocrates orationes suas majores (*λόγους ἐπιδεικτικούς* et *συμβουλευτικούς*) conscripsit, quarum primam ipse (de permut. 78. cf. 57.) Panegyricam a. 380. editam significat. Orationibus judicialibus conscribendis quin Isocrates intra proximum post ejectos triginta tyrannos complurium annorum spatium operam dederit idque necessitate coactus, victus quaerendi causa, quod belli Peloponnesiaci temporibus

quae oratori [2]) cum Callimacho fuerunt, controversiae quam accuratissime in ea enarratae, quin etiam res tam exigui ad cognoscendam causam momenti, ut silentio praetermitti sine ullo incommodo potuissent, copiosius in ea allatae sunt, ut fictam causam judicare temerarium videatur. Orator ipse se primum exceptionem (*παραγραφήν*) ex lege Archini repetitam in judicium inferre conatum esse affirmat (§. 1.). — Paullo gravioris momenti ea dubitatio videri poterit, utrum haec oratio revera ab Isocrate scripta sit nec ne. Dubiae fidei eam esse etiam Spengel (*συναγωγὴ τεχνῶν* p. IX., contra quem cf. Pfund: de Isocratis vita et scriptis pag. 17. et 18.) judicavit; Fulvius Ursinus (Virgil. cum gr. script. coll. p. 230.) Isaeo eam tribuit. Sed quod jam Fabricius in Biblioth. Gr. II. p. 789. notavit, omnis haec dubitatio de orationis nostrae fide profecta est a prava lectione in Harpocrat. Lexic. s. v. *Ῥίνων*, ubi codicum auctoritate Isaeo oratio datur. Quod mendum jam Maussac ad l. l. sustulit, orationis verum et legitimum parentem non Isaeum sed Isocratem esse judicans et in textu Callimacheae §. 6. pro „*Οἴνων*," quod editores veteres legerunt omnes (ut Hieron. Wolf. Basil. 1570.), corrigens: „*Ῥίνων*," quae lectio a recentioribus omnibus recepta est; Coraës eam in lib. manuscr. se legisse testatur (II. pag. 266.). Ceterum apud eundem Harpocrationem s. v. *δέκα καὶ δεκαδοῦχοι* orationem nostram Isocratis nomine laudatam reperies. Quod autem Ursinus Callimacheam ab Isocrateo dicendi genere valde dissidere censuit, nihil valere videtur. Isocrates ipse in Panathenaica §. 1., quid sit discriminis inter orationes judiciales et suasiones politicas, ante oculos ponit, „*τῶν λόγων — τοὺς ἁπλῶς δοκοῦντας εἰρῆσθαι καὶ μηδεμιᾶς κομψότητος μετέχοντας*" illas dicit. ideoque in polienda atque ornanda hac oratione fortasse minus, quam in ceteris, quibus ipse plus pretii tribuit, generis et deliberativi et demonstrativi orationibus multo post scriptis, studii diligentiaeque collocavit. Tamen in ea dictionis virtutem deprehendas, quam vere Isocrateam esse concedas, creberrimum antithetorum usum; quod a dictione Isocratea plane abhorreat, minime in ea reperias. Quae quum ita sint, omnino nullam video causam, cur oratio Isocrati abjudicetur, cui jam scholiasta ad Aristophanis Nubes v. 1134. diserte eam tribuit. Orationum Isocratis judicialium, quas nos habemus, haec si non prima, at certe inter primas confecta est.

In enarranda causa Callimachea fieri non potest, quin ad historiam tempestatum illarum, quibus respublica Atheniensium inde a delato ad triginta viros imperio usque ad restitutum popularem statum afflicta est, ubique respiciamus, ita tamen, ut rerum illo tempore gestarum, quarum inter omnes pervulgata sit fama, commemoratione quam brevissima acquiescamus.

Triginta virorum imperio Athenis constituto, Callimachus quidam, qui aliquot annis ante de sua et reipublicae salute desperans ex urbe effugerat, Athenas reversus tyrannorum partibus statim sese adjunxit, et quamvis sat multis injuriis ab iis lacessitus, tamen quamdiu auctoritate ac potentia florebant, tamdiu eorum socius permanebat. Posteaquam vero illi loco cedere coacti sunt, Callimachus ne summa quidem

---

pater omnem rem familiarem amiserat, minime dubium est (cf. praeter ceteros Weissenborn in Ersch. et Gruber. Encycl. Sect. II. vol. 25. Isocr. von Athen pag. 30. cf. Rauchenstein Oratt. select. Isocratis. Lips. 1849. pag. 4. cf. Benseler Isocr. operum tom. I. pag. 11.). Jam Aristoteles, oratoris nostri adversarius, (teste Cic. Brut. §. 47.) Isocratem ait aliis orationes scribere solitum, quibus in judiciis uterentur, sed cum ex eo saepe ipse in judicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere: et Cephisodorus, Isocratis discipulus, qui contra Aristotelem scripsit (cf. Dionys. de Isocr. c. 18.), praeceptorem aliis orationes scripsisse concessit. Dionysius ipse, Cephisodori testimonio fretus, hanc fert sententiam, orationes judiciales ab Isocrate scriptas esse, at non multas. Habemus oratoris nostri nomine inscriptas sex orationes forenses, quas omnes ab Isocrate eo consilio, ut coram judicibus a litigantibus haberentur, confectas esse O. Müllerus (Gesch. der griech. Litt. II. pag. 398.) judicat, et plerique recentiores cum eo consentiunt. Benselerus in tabell. chronol. versioni Isocratis operum (Prenzlau 1829) praemissis pag. 76. orationes Aeginet. et contra Lochitem exercitationis causa scriptas dicit. Idem vir doctiss. in libro de hiatu pag. 54—56. harum orationum alias duas, Trapeziticam et contra Euthynum, Isocrateas non esse probare studuit.

[2]) Oratorem vel orationis actorem breviter liceat eum vocare, cui Isocrates hanc orationem scripsit.

prudentia sua prohibere poterat, quominus gravissimum ipse detrimentum acciperet. Paucis diebus postquam decemviris respublica commissa est, [3]) Patrocles quidam, qui tum *ἄρχων βασιλεύς* erat, cum oratore nostro ambulans ei obviam factus est pecuniam portanti, et quum inimicus esset Callimacho, extemplo vehementer in eum invectus est, insimulans eum ex bonis hominis cujusdam, qui cum exulibus Piraeeum tum tenentibus staret, in urbe relictis illam pecuniam fraude surripuisse. [4]) Quum vero Callimachus pecuniam tradere nollet, controversia inter eos coorta est, [5]) resque ad Rhinonem, unum de decemviris, forte acce-

---

[3]) §. 17: *οὗτος δὲ ἀδικηθῆναί φησιν, ὅτε ἐξεβέβληντο μὲν οἱ τριάκοντα, ὁ δὲ Πειραιεὺς ἦν κατειλημμένος, ἐκράτει δ' ὁ δῆμος, περὶ διαλλαγῶν δ' ἦσαν οἱ λόγοι.* Postquam exules Piraeeum ceperunt et triginta virorum exercitum fugarunt, opera eorum, qui vehementissimae et crudelissimae Critiae et sod. factioni adversabantur, Critia in pugna occiso, factum est, ut triginta viri imperio exuerentur, respublica decemviris, singulis ex quaque tribu electis, committeretur, qui ad paciscendum cum Piraeensibus propensi putarentur. Hoc ipso autem tempore de pace componenda sermones videntur facti esse: sed haud dubie per brevissimum tantum spatium (cf. Lysiam c. Eratosth. §. 53—58. cf. Grote histor. Graec. a Meissnero vers. IV. pag. 519.). Exules ubi hostilem illorum erga se animum cognoverunt, majore cum industria bellum pararunt, agros devastarunt, post paucos dies moenia urbis ipsa aggressi sunt (cf. Isocr. *π. τ. ζεύγους* §. 13.). Intra paucorum igitur post constitutos decemviros dierum spatium controversia inter Patroclem et Callimachum accidit; eo ipso tempore, quo exules moenia urbis aggredi parabant, Callimachus ex urbe effugisse dicitur §. 49.

[4]) §. 5: *λαβόμενος δὲ αὐτοῦ φίλον ἔφασκεν αὐτὸ καταλιπεῖν δημόσιον γίγνεσθαι· ἐκεῖνον γὰρ εἶναι τῶν ἐν Πειραιεῖ.* Haec est lectio a Coraë jam in codice reperta (cf. II. pag. 266.), quae exstat in cod. Vatic. *Λ* a Bekkero ad nostram praecipue orationem collato. Multum ab hac discrepant lectio vulgata et quae inde profectae sunt emendationes virorum doctorum. Vulgata Hieron. Wolfii lectio: „*λαβόμενος δὲ* (Stephanus: *βουλόμενος δὲ*) *αὐτοῦ ἀφελέσθαι αὐτὸ ἂν φίλον* (Steph.: *Πάμφιλον*) *τοῦτο ἔφασκεν αὐτῷ καταλιπεῖν, ὥστε δεῖ* (Steph.: *δεῖν*) *δημόσιον γίγνεσθαι αὐτό.*" ex vocibus ad locum illustrandum margini adscriptis, deinde ab indoctis librariis in contextum receptis et scripturae genuinae insertis videtur orta esse. Afferam etiam quam Augerus in animo habuit et Langius recepit emendationem: *βουλόμενος δὲ αὐτοῦ ἀφελέσθαι αὐτό, οὐκ ἂν φίλον τοῦτο ἔφασκεν αὐτῷ καταλιπεῖν, ὅ τε δεῖ δημόσιον γίγνεσθαι*, quae verba vir doctiss. sic vertit: „quum vellet autem ipsi eripere, dicebat se ne quidem si amicus esset, eam ipsi relicturum, quae deberet publicari." Accurate haec omnia refellere ad nos hoc loco non pertinet; longe praestantior est lectio illa in cod. Vatic. reperta, quamquam ne haec quidem ita comparata esse videtur, ut pro vera ac genuina accipi possit. Operae pretium est, quoniam hic locus ad illustrandam causam multum valet, paullo accuratius eum perspicere. Constructio verbi *λαμβάνεσθαι* cum Genit. pervulgata est. „*φίλον καταλιπεῖν αὐτό*" = accus. cum infin. pendens a verbo *ἔφασκεν*. Quid vero de infinitivo illo: „*δημόσιον γίγνεσθαι*" judicemus? Infinitivum solum sine *ὥστε* saepissime ita usurpari, ut actionis alicujus vel finem vel eventum indicet et hac ratione vim enunciati, cui additus est, accuratius definiat, grammatica docet. Tamen haec structura hoc loco ferri non potest: sententia, quae inest in verbis, si infinitivum sine *ὥστε* ponas, amicum Callimachi pecuniam eo consilio, ut publica fieret, vel certe hunc eventum fore intelligentem in urbe reliquisse, minime placet. Orator significare vult, quem eventum illud *καταλιπεῖν* vel re vera habuerit vel habere debeat; quamobrem cum Scheibio consentiendum videtur, qui aliquid deesse hoc loco censet (in lib.: Die oligarch. Umwälzung zu Athen etc. pag. 120. ann. 8.), et supplendum esse vel *δεῖν δὴ* vel *δεῖν δὲ* vel *ὥστε δεῖν δημόσιον γίγνεσθαι* vel fortasse solum *ὥστε δημ. γίγν.* rescribendum esse. — Multos praeterea jam illud „*φίλον*" offendit, cujus loco restituerunt alii *Φιλῖνον*, alii *Φίλωνα* (Dobreeus. Scheibius), alii *Φίλον* (quod Baiterus et Sauppius in contextum receperunt. Orat. Att. vol. III.). Etiamsi ad defendendam vocem: „*φίλον*" hoc fere dici poterit, Patroclem tum quidem, quum in jus vocaret Callimachum, hominem, qui pecuniam illam in urbe reliquisset, sane nominare debuisse, hoc vero orationis nostrae loco haud multum interesse, quodnam fuerit huic homini nomen: tamen illis, qui nomen proprium etiam hoc loco desiderant, praesertim quum verba, quae sequuntur: *ἐκεῖνον γὰρ εἶναι τῶν ἐν Πειραιεῖ* certum quendam hominem significent, assentiendum esse puto. Oratores, quascunque res gestas commemorant, accurate praecipue nomina eorum, ad quos res illae attinuerint, afferre solent.

[5]) §. 6: *ἀμφισβητοῦντες δὲ περὶ τούτου, καὶ λοιδορίας αὐτοῖς γενομένης, ἄλλοι μὲν πολλοὶ συνέδραμον, καὶ κατὰ τύχην Ῥίνων εἷς τῶν δέκα γενόμενος προσῆλθεν.* Notanda est hoc loco structura nominativi absoluti, quam anacoluthiam a scriptoribus Graecis adhibitam invenimus tum praecipue, si nominativus ille participii tam longo intervallo (pluribus enunciatis interpositis) a verbo finito sejungitur, ut scriptor, quo enunciati initio usus sit, oblitus esse videri possit. Mira sane hoc loco haec structura est, quia in enunciato tam brevi est adhibita; sed simillima etiam hujus exempla plura reperiuntur, ut Xenoph. Hellen. II. 3. 54. cf. Matthiaei Gramm. gr. §. 562. Malim igitur h. l. nominat. absol. servare quam

dentem a Patrocle per *φάσιν* delata. Per *φάσιν* enim delatio fiebat, si quis bonorum publicorum possessionem sine justo titulo usurparat,[6]) id quod Patrocles Callimacho crimini dabat. Sive enim ille, quem *Φίλον* vel *Φίλωνα* noster vocat, in exilium a tyrannis ejectus erat, sive sua sponte iis, qui tum hostes patriae putabantur, se adjunxerat: bona ab eo in urbe relicta in aerarium publicum redire debebant. Rhino ad collegas h. e. ad decemvirorum collegium litigantes adducit, a decemviris res ad senatum defertur, unde judicium fit, pecuniam illam esse publicam.

Liceat hoc loco statim, priusquam in enarranda re Callimachea pergam, animadversiones aliquas de lite modo enarrata adjicere. Secundum leges Atticas bonorum publicatione puniebantur, qui ex proscripti alicujus bonis aliquid aut occultassent aut abstulissent.[7]) At Callimachum non omnium bonorum, sed ejus tantum summae, de qua Patrocles litem moverat, publicatione ex judicum oligarchicorum sententia multatum esse ex tota oratione nostra adeo manifestum est, ut locos singulos, ex quibus praecipue hoc appareat, afferre plane sit supervacaneum. Leges liberae reipublicae, quo tempore Callimachus in jus vocatus et condemnatus est, non valebant. Non minus consuetus judiciorum mos atque ordo illa aetate, quum pauci rebus Atheniensium praeessent, neglectus est; ita ut neque ex iis, quae libera republica fieri solebant, suspicari quidquam de oligarchorum consuetudine, neque iis, quae oligarchiae tempore vel facta vel observata scimus, ad illustrandam rerum in libera republica condicionem ullo modo uti liceat. Quae quum ita sint, quousque Patrocles suae ipsius utilitati tum consuluerit, in incerto relinquitur. Etiamsi enim eos. qui fraudem aliquam reipublicae factam per *φάσιν* indicassent, reo condemnato, plerumque dimidium aestimationis praemio accepisse scimus (cf. Schoemann. de comit. pag. 175. ann. 8. et pag. 178. cf. Att. Proc. pag. 614. e. a. c.), tamen inde non constat hunc morem, qui erat liberae reipublicae, sub paucorum imperio servatum esse. Porro hoc quoque notandum est. Litem a Patrocle institutam dijudicatam esse a senatu ex §. 6. elucet idque ea re firmatur, quod orator §. 8. Patroclem accusatoris partes egisse senatoribus ad testimonium vocatis demonstrat. Qui inde colligere vellet, senatum etiam libera republica in causis per *φάσιν* intentis eodem judicum munere functum esse, in errorem gravissimum incideret (cf. Meier. Att. Proc. pag. 251. ann. 25. et pag. 122.). De senatus jurisdictione, qualis oligarchiae tempore fuisse videatur, haec tantum addam. Constitutis triginta viris, senatui judicia omnino tradita sunt (cf. Sievers. Comment. histor. de Xenoph. Hellen. pag. 47. cf. ann. 295. Scheibe l. l. pag. 67. cf. pag. 120.). Praeterquam vero quod tyrannos ipsos sine senatus ope multa judicia fecisse constat, negari non potest eos etiam in rebus senatui traditis primas in judicio partes egisse senatusque consilio ita praefuisse, ut omnia fere suo ex arbitrio moderarentur (cf. Scheibe l. l. pag. 74. Grote l. l. IV. pag. 494. sq.). Quae quum ita sint, probabile est, nullam illo tempore sententiam latam esse, quae tyrannis non esset probata, aut cujus originem non possimus ab illis ipsis ducere. Decemvirorum imperio in his nihil videtur mutatum esse.

Callimachus, causa dijudicata, ex urbe effugit; in exilium auctoritate judicum eum non esse ejectum, sed sponte egressum, verba §. 49: *τότε ἐξῆλθεν οὐ τὰ παρόντα μισήσας, ἀλλὰ δείσας τὸν ἐπιόντα κίνδυνον* (h. e. exulum impetum verbis huic loco praecedentibus commemoratum) satis dilucide demonstrant. At vero graviore quam illa h. l. allata eum, ut in fugam se daret, commotum esse causa, ex verbis, quae §. 35. leguntur: „*καὶ εἰ τότε μὲν διὰ τὴν οὐσίαν τὴν αὐτοῦ φυγεῖν ἠναγκάσθη*“ apparet. Metu perterritum eum effugisse propter impendentem exulum impetum, hoc profecto nullo alio consilio orator

---

contra codicum fidem cum Sauppio „*ἀμφισβητούντων*“ scribere. — Rhinonem nonnisi ex hoc loco et Heraclidis Pontici fragmento, ubi *ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός* vocatur, cognitum habemus.

[6]) cf. Schoemann. de comitiis pag. 177. sq. Meier. Attischer Process pag. 249. sq.

[7]) Hoc Meier. de bonis damnatorum pag. 214. pluribus Lysiae in oratione: *ὑπὲρ τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων* locis comprobavit.

affirmavit, nisi ut detrectaret ei et in contemtum eum adduceret; et quoniam in illud ipsum tempus, quo exules moenia aggressuri erant, fuga illa incidit, talis criminatio haud inepta erat, praesertim quum alias jam timide se gessisset Callimachus. Fugiendi necessitatem quandam huic impositam esse, verba illa quae modo laudavi „*διὰ τὴν οὐσίαν τὴν αὐτοῦ φυγεῖν ἠναγκάσθη*“ docent. Quaenam igitur est hujus loci vis? Pecuniam illam a senatu abjudicatam, quae decies mille drachmarum summam non superabat, re vera Callimachi fuisse, non ex bonis exulis alicujus surreptam, hoc negare orator per totam orationem ne verbo quidem conatur, immo pluribus locis injuria eam Callimacho ereptam esse videtur concedere. Hujusce pecuniae causa (*διὰ τὴν οὐσίαν τὴν αὐτοῦ*), quae inimici in manibus conspecta Patroclem instigarat, ut per calumniam damno Callimachum afficere conaretur, quae oligarchos divitiarum quam maxime appetentes, quorum auspiciis judicium habebatur, adeo pellexerat, ut Patroclis calumniis libenter fidem haberent et condemnare reum non dubitarent: hujus, inquam, pecuniae causa fugiendi necessitas Callimacho obvenit. Judices enim simulac publicandam eam esse censuerunt, persuasum se habere id, quod Patrocles conquestus esset, Callimachum eam voluisse vel sibi ipsi arripere vel exuli illi conservare, declararunt. Sive autem hoc sive illud Callimachus voluit, perfidi profecto erga tyrannos animi vel benevolentiae erga tyrannorum adversarios suspectus fiebat; et si quidem ita suspectus decemviris erat factus, in urbe diutius remanere non poterat, quin temere pluribus vexationibus periculisque sese exponeret. Haec necessitas in fugam eum vertit.

Exulum hoc tempore tanta vis tantaque alacritas erat, ut certam sibi victoriam ac prosperum contentionum et successum et eventum fore sperare possent. Quamobrem Callimachus in Piraeeum se contulit ibique aliquamdiu commoratus est. Posteaquam vero Lysander, decemviris auxilium ferens, cum exercitu mercenario Eleusinem venit, Libys, ejus frater, cum classe Piraeeum a mari clausit, Pausanias deinde cum Lacedaemoniorum exercitu publice educto, una cum Lysandro Eleusine profectus, exules proelio vicit et in Piraeeo inclusit:[8]) ille metu perculsus iterum in fugam se conjecit et in Boeotiam transgressus est, ubi optimum sibi refugium fore, quum Boeoti exulum causam haud occulte sustentarent, jure quodam sperare poterat. Recepit autem se eo profecto priusquam pacis Pausaniae opera reconciliandae spes exulibus esset. — Pace composita, postquam exules in urbem reverterunt (Olymp. 94. 2. mense Boëdromione die duodecimo), Callimachus quoque Athenas rediit; reversus autem id imprimis agebat, ut pecuniam, qua decemvirorum imperio privatus esset, recuperaret. Primum igitur Patrocli litem intendit (*ὡς αἰτίῳ τῆς συμφορᾶς γεγενημένῳ*), quippe qui per *φάσιν* tum institutam decemviros incitasset, ut publicarent pecuniam. Convenit autem inter eos, ut Callimachus, decem argenti minis a Patrocle acceptis, litem ei intentam desereret. Quo facto Lysimachum quendam calumniatus esse et huic ducentas drachmas extorsisse narratur (— quid autem conjunctionis fuerit hujus actionis Lysimacho intentae cum prioribus causis modo enarratis, non comperimus —). Paullo vero post oratori nostro insidias struxit, quin etiam eo impudentiae processit, ut omnium malorum sibi illatorum eum solum fuisse auctorem, ab illo se ad decemviros arcessitum esse graviter ubique quereretur. Orator ne in jus a Callimacho vocaretur, ducentas ei drachmas dedit, nec tamen priusquam, compromisso facto, Nicomachus quidam Batensis (— Bate, tribus Attica —) arbiter *ἐπὶ ῥητοῖς* adhibitus esset. Arbitrium enim ab arbitro compromissario, ut hoc utar, datum irritum fieri non poterat nisi utriusque, qui compromiserat, consensu; nec per provocationem nec per novam actionem causam denuo judicum cognitioni committere licebat.[9]) Qua ratione quum Callimachus prohibitus esset,

---

[8]) §. 49: *ἐπειδὴ γὰρ Λακεδαιμονίων ἐλθόντων ὁ δῆμος ἐν τῷ Πειραιεῖ κατεκλείσθη, πάλιν ἐκεῖθεν* etc. cf. Scheibe l. l. pag. 130.

[9]) §. 10: — *ἐπείσθην δοῦναι τούτῳ διακοσίας δραχμάς· ἵνα δὲ μὴ πάλιν ἐξείη συκοφαντεῖν αὐτῷ, δίαιταν ἐπὶ ῥητοῖς ἐπετρέψαμεν Νικομάχῳ Βατῆθεν.* De „*διαίτης ἐπὶ ῥητοῖς*“ natura Hudtwalckerus: Ueber die öffentlichen und Privat-Schiedsrichter in Athen pag. 168. sq. exponit. In Isocr. orat. trapezitica §. 19. extr. habemus *διαιτητὴν ἐπὶ ῥητοῖς*

ne quid adversus oratorem moliretur, ab initio quidem aliquamdiu quietem egit; attamen aliquanto post, nulla compromissi illius ratione habita, adjutus a Xenotimo quodam, homine nefario, [10]) actionem oratori intendit, qua decem millia drachmarum ad reparandum damnum sibi illatum ab illo postularet. Orator exceptionem rei judicatae per testem (*διαμαρτυρίαν*) interposuit, causam non esse in judicium deducendam, quod jam esset ab arbitro cognita et quodammodo judicata, teste adhibito demonstravit. Callimachus vero etsi testem illum judicio persequi non ausus est, tamen non desiit oratori ipsi negotium facessere, immo persuasit magistratui, ad quem res pertinebat, ut eandem actionem contra illum iterum sibi liceret instituere. Alteri autem huic actioni orator, fretus lege ab Archino rogata, iterum exceptionem aliquam (*παραγραφήν*) opposuit, qua actionem illam Callimacheam propter oblivionem (*ἀμνηστίαν*) post populi reditum concessam prorsus rejiciendam esse ipse pro se intercedens contenderet; — atque haec quidem exceptio oratione nostra continetur.

Argumentatione autem hac fere orator contra Callimachum utitur. Postquam in exordio orationis, lege Archini allata, jus exceptionis interponendae et jus prioris orationis sibi datum esse demonstravit, et quae de injuria tyrannorum tempore Callimacho illata deque actionibus ab illo post reditum institutis supra allata sunt, luculenta narratione exposuit testibusque productis confirmavit: inde a §. 13. sic pergit: (§. 13—15.) Callimachum, ait, falsa sibi crimina oblaturum et ante omnia negaturum esse arbitrium a Nicomacho factum, simulantem se nunquam eum sumpturum fuisse arbitrum, quem sciret adversario familiarem esse, neque unquam accepturum fuisse exiguam illam duarum minarum summam. At vero quoniam arbiter *ἐπὶ ῥητοῖς* tum sit electus, Callimachum nihil absurdi fecisse, quod Nicomachum voluerit arbitrum esse; ducentis drachmis eum contentum fuisse ea de causa, quod omnino injuste et per calumniam criminatus sit; gravissimum autem arbitrii facti illud signum esse, quod Callimachus testem, per quem *διαμαρτυρία* interposita sit, persequi non ausus sit. (§. 16—18.) Quin etiam si neque arbitrium factum esset neque quisquam adesset, qui de re gesta testimonium diceret: tamen judices facile cogituros esse, quid aequum ac justum sit. Neque enim quemquam, ne triginta virorum quidem temporibus, a se aut pecuniis privatum aut in capitis periculum adductum aut e societate reipublicae deletum esse; [11]) ne inimico quidem ulli se tum insidias struxisse,

---

nominatum, qui certam poenam paciscentium consensu statutam diceret, si alter eorum, qui pacti essent, non mansurus esset in pacto: hoc loco Callim. cum adversario compromittit in arbitrum, qui omnem litem statim ipse dirimat arbitrio, de quo inter litigantes jam convenerat, dato; cf. §. 13. sq. Nicomachus non erat diaeteta publice constitutus, ex numero quadraginta illorum, qui quaterni ex singulis tribubus quotannis sorte capiebantur, sed erat *διαιτητὴς αἱρετός* = civis ex compromisso vel consensu eorum, qui litem habebant, electus. Arbitrium ejus hanc habebat vim, ut magis firmaret vel quasi sanciret id, de quo litigantes inter se convenissent; cf. legem in Demosthenis Midiana allatam §. 94: *Ἐὰν δέ τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητῶσι καὶ βούλωνται διαιτητὴν ἑλέσθαι ὁντινοῦν, ἐξέστω αὐτοῖς αἱρεῖσθαι ὃν ἂν βούλωνται διαιτητήν· ἐπειδὰν δ' ἕλωνται κατὰ κοινόν, μενέτωσαν ἐν τοῖς ὑπὸ τούτου διαγνωσθεῖσι, καὶ μηκέτι μεταφερέτωσαν ἀπὸ τούτου ἐφ' ἕτερον δικαστήριον ταὐτὰ ἐγκλήματα, ἀλλ' ἔστω τὰ κριθέντα ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ κύρια.* cf. Hudtwalcker l. l. pag. 60.; pag. 169.; pag. 176. sq. — Quod Scheibius l. l. pag. 90. suspicatus est, Nicomachum a nostro commemoratum eundem esse atque *ἀναγραφέα* illum, contra quem Lysias orationem scripsit, probari non potest.

[10]) De Xenotimo certi nihil compertum habemus. Meier. de bonis damnat. pag. 84. ann. 278. non dubitat, quin fuerit Carcini ejus, qui Atheniensium dux Peloponnesum circumnavigare jussus esset (Thucyd. II. 23.), filius. Carcinus enim ille patre Xenotimo usus erat et avi plerumque nomine nepotes induebantur. Xenotimum Carcini filium Isocr. etiam in trapezit. §. 52. commemorat. — Quod orator noster §. 11. hunc Xenotimum significat: *τὸν τοὺς νόμους διαφθείροντα καὶ τὰ δικαστήρια δεκάζοντα καὶ τὰς ἀρχὰς λυμαινόμενον*, inde Scheibe l. l. pag. 151. sibi sumit, illum fuisse in numero eorum nomothetarum, qui post exactos tyrannos legibus recensendis et conscribendis creati sint (de quibus v. Schoemann. de comitiis pag. 270. et praeter cett. Grote l. l. IV. pag. 538. ann. 11.). Quae opinio utrum vera sit nec ne, equidem discernere non audeo. — Quousque Xenotimus actionis Callimacheae particeps fuerit, non constat.

[11]) §. 16: *νῦν δὲ οὐδένα φανήσομαι τῶν πολιτῶν* —— *ἐκ μὲν τῶν μετεχόντων τῆς πολιτείας ἐξαλείψας, εἰς δὲ τὸν μετὰ Λυσάνδρου* (edit. vet.: *Πεισάνδρου*) *κατάλογον ἐγγράψας.* Iisdem fere verbis Isocrates hunc catalogum

multo minus, triginta viris expulsis, quum ceteros facinorum poeniteret, injuria se affecisse Callimachum, cum quo nihil unquam rei sibi antea fuisset. (§. 19—26.) Sed etiamsi ille a se tum accusatus esset, tamen ei nunc propter pactiones a populo initas non licere litem hac de re movere. Oblivionis enim lege accepta omni periculo se esse liberatum: et legibus latis cives jam declarasse, quanti facerent hoc foedus. Multo graviorum scelerum impunitatem aliis, qui se peccasse fassi essent, a populo concessam esse. Philonem quendam (Phidonem?), *παραπρεσβείας* accusatum, oblivionis lege allata, statim absolutum esse: [12]) ne potentissimos quidem civium, Thrasybulum et Anytum, in jus vocare ausos esse eos, quorum opera detrimenta gravissima accepissent. Foedus hucusque servatum non esse propter Callimachi calumniam negligendum; nec decere nunc, postquam eventus tam prosper, reconciliatio civium reipublicae saluti fuerit, legem illam abrogare aut impunitos dimittere eos, a quibus sit violata. (§. 27—32.) Pactionum factarum sanctitas utrum servanda sit necne, non de pecuniis tantum postulatis nunc suffragia a judicibus ferri. Foedera, inquit, tueri quum omnes homines, tum nos debemus, quorum omnis salus ex iis servandis pendet; nec projicienda est gloria, quam urbs nostra ex civium reconciliatione, ex moderatione ac prudentia nostra cepit. (§. 35—41.) Equidem, inquit, de decem millibus drachmarum in certamen venio, civitas talibus de rebus, de quibus nec pro dignitate quisquam dicere nec poenam satis grandem constituere possit, periclitatur.

(§. 35—41.) Callimachus autem queretur fortasse de inopia sua et calamitate sub paucorum imperio accepta et misericordiam atque indignationem civium lamentando atque obtrectando de iis, quae mutata republica gesta sint, concitare conabitur. Attamen adjuvandus non tam is est, qui se calamitosum esse ostenderit, quam qui causam suam aequiorem esse probarit. Multam quidem ei irrogari iniquum esset, si a me pecunia esset privatus; at ipse is est, qui calumnietur. Porro quum praeter Callimachum civium reversorum nemo tale judicium subire ausus sit, profecto malus civis ille habendus est et odio persequendus; et quoniam etiam nunc ei licet lite deserta toto negotio liberari, misericordia ei sponte periculum subeunti ne minima quidem tribuenda est; immo si de iis, quae in oligarchia gesta sunt, mentionem faciat, ab eo postulandum, ut injuriam a me sibi illatam esse demonstret, neu querelas afferat, quibus etiam contra insontes liceat uti.

(§. 42—44.) Deinde orator de misera ac desperata omnium eorum, qui oligarchiae tempore in urbe remanserint, condicione deque periculis, oblivionis lege neglecta, impendentibus commonet. Anxie, ait, illos exspectare judicii eventum, quod de pactis judicium fieri existiment. Magnos enim, si ea violentur, instare tumultus summamque haud dubie iterum excitatum iri civium inter se discordiam et totius reipublicae perturbationem. Quid autem mali seditiones ferant, patriam ipsam satis superque expertam esse. (§. 45—47.) Antequam pactum illud convenisset, cives, alios moenibus inclusos, alios Piraeeo occupato, infestissimis invicem animis bellum

---

c. Euthyn. §. 2. commemorat; Lysias Orat. XXV. *δημ. καταλ. ἀπολ.* §. 16. eundem catalogum *τὸν κατάλογον Ἀθηναίων* dicit. Sievers. (Comment. hist. de Xenoph. Hellen. [1833.] pag. 98.) illam veterum lectionem tenens opinatur Pisandro a triginta viris mandatum esse, ut *τοὺς ἔξω τοῦ καταλόγου* (scil. *τῶν τρισχιλίων*) in alias tabulas referret. — Grote hist. Gr. IV. pag. 500. vers. Meissner. haec habet: „Es wurde ein Verzeichniss von Personen entworfen, in welches jeder ihrer (der 30) Anhänger die ihm beliebten Namen einschreiben durfte, und aus dem die Opfer gemeiniglich genommen wurden;" et in ann. his verbis adjecta: „Die beiden Stellen des Isocrates bezeichnen hinreichend, was dieses Verzeichniss oder *κατάλογος* gewesen sein muss; der Name aber, mit dem er es nennt, *ὁ μετὰ Λυσάνδρου* (oder *Πεισάνδρου*) *κατάλογος* — ist nicht leicht zu erklären."

[12]) §. 22: *Φίλωνα τὸν ἐκ Κοίλης ἐνδειχθέντα παραπρεσβεύεσθαι* —— *ἔδοξεν ὑμῖν ἀφεῖναι* etc. Conjectura Wesselingii ad Diodor. Sic. XIV. 33. haud improbabilis est, loco vocis „*Φίλωνα*" „*Φείδωνα*" restituendum esse. De Phidonis (*ἐκ Κοίλης*) decemviri ad Lacedaemonios legatione certiores facti sumus. Constat cives postquam ex Piraeeo in urbem redirent, convenisse eo, ut summa, quam Phido legatus decemvirorum jussu a Lacedaemoniis petiisset, de publico his restitueretur; cf. Lys. c. Eratosth. §. 58. sq. cf. Isocr. Areopag. §. 68. sq. ceterosque locos a Scheibio l. l. pag. 121. ann. 11. laudatos. Phidonem ipsum accusatum liberatumque esse aliunde non habemus compertum. — De *παραπρεσβείας* accusatione cf. Meier. et Schoemann. Att. Process. pag. 244. 322. 263. e. a. c.

gessisse et infelicissimos ac stultissimos tum Athenienses ab omnibus judicatos esse: postquam in unum convenerint, fide data et accepta, cives concordia inter se conjunctos ita in urbe vivere, quasi nullae unquam inter eos dissensiones exstiterint, et felicissimos ac prudentissimos Graecorum praedicari. Quamobrem gravissima supplicia sumenda esse ab iis, qui hoc foedus violare audeant, praesertim ab iis, qui ita vixerint ut Callimachus. (§. 47—50.) Nam et tum, quum Lacedaemonii patriam diuturno bello infestarent, et postea sub triginta virorum imperio et certaminum inter eos, qui Piraeeum, et eos, qui urbem tenerent, tempore Callimachum summa fuisse ignavia et timido ac perfido in tyrannorum socios, in exules, in universam civitatem animo. Tamen eum nunc velle meliore condicione esse quam ceteros omnes, perinde ac si solus injuriis affectus sit vel civium optimus fuerit. (§. 51—57.) Improbitatem autem ejus quum aliis facinoribus permultis tum eo manifestam esse, quod in causa *φόνου* in accusatoris, affinis sui, gratiam non dubitarit de caede ancillae alicujus summa cum impudentia falsum testimonium dicere. Qua ex re id certe apparere, eum in suis nihil non ausurum nec dubitaturum esse pro se ipso in causa sua mendacia dicere aut rerum non factarum testes subornare.

(§. 58—63.) Equidem contra, orator pergit, qualis sim, praeclare ostendi tum, quum patria, classe in Hellesponto perdita, summis in angustiis esset. Nam postquam in pugna illa Hellespontica navem meam servavi, aliis de praesente reipublicae statu desperantibus, ego solus in trierarchia perseveravi et fratrem mihi socium sumpsi; de nostro autem nautis mercedem dantes hostes vexavimus et nihil curantes Lysandri minas frumentum ad urbem advexinus. Quamobrem coronam nobis populus decrevit et publice nos tanquam optime de republica meritos pronunciari jussit. (§. 63—68.) Quum autem hoc modo et vitam et rem familiarem minoris fecerim quam boni civis famam, profecto iniquum esset, si jam viderer aliorum fortunis insidiatus esse, et si ea, quae ex magnis sumptibus in rempublicam factis reliqua mihi sunt, Callimacho calumniatori, nihil de republica merito, adjudicarentur. Honoris vero illius, quo dignus sum judicatus, memoriam nunc renovo et gratiam civium ut debitam mihi reposco, non tam id quaerens, ut aequo plus mihi detur, quam ut, servato pacto et jurejurando, justum feratur judicium.

Jam vero quum orator omnem fere defensionem suam ex oblivionis lege petierit, quum hanc tum ceteras, quas illo tempore valuisse scimus, leges huc pertinentes accuratius examinemus necesse est. Ex eo enim, quod et Patrocles et orator, qui oblivionis lege ab omni periculo liberati esse dicuntur, tamen de pecunia solvenda cum Callimacho pactionem fecerunt, porro ex eo, quod Callimachus bis etiam falso crimine oratorem arcessere conatus est, ex his, inquam, facile colligas eum non temere prorsus et inconsiderate, sed causa aliquatenus saltem munita in jus venisse. Haec quomodo se habuisse videantur, num propter oblivionis legem omnino non licuerit Callimacho rem suam iterum judicum cognitioni subjicere et recuperandae pecuniae a decemviris abjudicatae coram judicibus operam dare, paullo accuratius perquirendum nobis est.

Duo distinguuntur pacta, quae inter exules et tyrannorum socios intercesserint,[13]) alterum pax illa, adjuvante Pausania, conciliata his condicionibus, ut concordia a civibus coleretur et ad sua quisque rediret, exceptis triginta tyrannis et quibus tyranni usi essent sententiarum exsecutoribus, undecimviris in urbe, decemviris in Piraeeo:[14]) alterum celeberrima illa *ἀμνηστία* post exulum reditum populiscito et jurejurando sancita.[15]) Priore illa pacis lege praescriptum erat, ut sua cuique redderentur, suorum quisque bonorum possessionem recuperaret (*ἀπιέναι ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστον*), et sane multis bona a tyrannis publicata revera restituta esse comperimus.[16]) Quum vero haud dubie non pauci essent, quibus variis de causis bona restitui non possent, inter eas causas, quae invidiam erga malorum auctores et ulciscendi cupiditatem in exulum reversorum animis languescere non sinerent, immo vel maxime stimularent, haec (—quae sola ad nos h. l. pertinet—) non tenuissima erat, qua fieri non poterat quin lites conflarentur ad placandos civium animos minime idoneae. Hujuscemodi vero discordiis civium illa oblivionis lex obstabat bonorum civium imprimis Thrasybuli opera perlata, quae etsi in universum minus certis finibus descripta (—quod Platnerus demonstrat in libro: Process und Klagen bei den Attikern. I. pag. 152. sq. —), aperte tamen *τοὺς ἐνδείξαντας ἢ φήναντας ἢ τῶν ἄλλων τι τῶν τοιούτων πράξαντας* (cf. orat. nostr. §. 20.) h. e. eos, qui sub paucorum imperio variis accusationibus effecissent, ut aliquis aut pecuniis multaretur aut in capitis periculum adduceretur aut in exilium ejiceretur, omni periculo liberabat. Haec lex, a qua servanda omnis civitatis salus illo tempore penderet a bonis civibus quavis ratione cum adhortationibus populi tum optimis moderationis exemplis ab ipsis editis tum legibus salutaribus rogatis sustentabatur. Ut contentiones eorum, quibus oblivionis lex admodum importuna erat, qui violare eam conabantur et abrogare studebant, ad irritum redigerentur (cf. orat. nostr. §. 2. §. 26.), Archinus legem illam rogavit, qua, si quis neglecto *ἀμνηστίας* pacto actionem institueret (*ἄν τις δικάζηται παρὰ τοὺς ὅρκους*), reo exceptionis interponendae jus (*παραγραφὴ, ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἡ δίκη*) dabatur. Praescriptum hac lege est, ut is, qui hac exceptione uteretur, priorem coram judicibus haberet orationem, uter litigantium in judicio de hac exceptione facto succubuisset, multam (*ἐπωβελίαν*) solveret. Difficultas vero quaedam inde nascitur, quod aliam praeterea legem hac tempestate valuisse scimus, quae cum oblivionis lege minus bene convenire videatur, eam dico, per quam omnia, quaecunque sub paucorum imperio decreta essent, omnes sententiae in causis sive publicis sive privatis illo tempore latae plane rescindebantur;[17]) rescissis enim judiciis, si nihil aliud obstabat, quamcunque causam tyrannorum auspiciis dijudicatam licebat iterum judicum cognitioni committere (*ἀνάδικον* reddere).[18]) Quaeritur, quatenus haec licentia, rescissionis lege data, oblivionis lege imminuta vel angustioribus finibus circumscripta sit. Platnerus, duas illas leges diversas, quae sane quam artissime inter se cohaerebant, ubique conjunctas considerans, in lib. laud. vol. I. pag. 150. et 151. sic statuit: „Diese Verfügung über die gesprochenen Erkenntnisse, inquit, wenn sie anders mit dem bewilligten Amnestiegesetz zusammen bestehen soll, lässt sich nun nicht anders erklären, als dahin, dass die

[13]) cf. Sievers. Comment. hist. ad Xenoph. Hellen. pag. 58.; ejusd. Histor. Graec. inde a fine belli Pelop. pag. 86. et 87. Scheibe l. l. pag. 131. sq. 137. sq. Grote l. l. IV. pag. 524. 535. al.

[14]) cf. Xenoph. Hellen. II. 4. 38: *Οἱ δὲ διήλλαξαν ἐφ᾽ ᾧτε εἰρήνην μὲν ἔχειν ὡς πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστον πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα.* Decemviri post triginta viros praetores creati, quos Cornelius Nep. Thrasyb. 3. et Justinus V. 10. exilio affectos esse narrant, non sunt ejecti (contra Meierum, qui in comm. de bonis damnat. pag. 187. sq. hos quoque pulsos esse probare studuit, cf. Sieversium et Scheibium locis supra laudatis disputantes). Quum oratio nostra habita est, in urbe versabantur: orator iis testibus usus est cf. §. 8: *ἐγὼ δ᾽ ὑμῖν παρέξομαι μάρτυρας* ——— *ἔπειτα καὶ τοὺς συνάρχοντας* (h. e. *τοὺς δεκαδούχους*).

[15]) cf. praecipue Andoc. de mysteriis §. 81: *ἐπειδὴ δ᾽ ἐπανήλθετε ἐκ Πειραιέως, γενόμενον ἐφ᾽ ὑμῖν τιμωρεῖσθαι, ἔγνωτε ἐᾶν τὰ γεγενημένα καὶ περὶ πλείονος ἐποιήσασθε σώζειν τὴν πόλιν ἢ τὰς ἰδίας τιμωρίας, καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων.* Ceterum oratores, ubicunque de hac oblivione mentionem faciunt, nomine „*συνθῆκαι*“ utuntur. — Jusjurandum populi hoc erat: *καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν.* Jusjurandum senatus: *καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων.* Jusjurandum judicum: *καὶ οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους.* Andoc. de myster. §. 90. sq.

[16]) Isocr. *περὶ τοῦ ζεύγους* §. 46. cf. Sievers. Gesch. Griechlds. pag. 92.

[17]) v. Demosth. adv. Timocr. §. 56: „*τὰς δίκας καὶ τὰς διαίτας ὅσαι* (l. *ὁπόσαι*) *ἐγένοντο ἐπὶ τοῖς νόμοις ἐν δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει, κυρίας εἶναι, ὁπόσα δ᾽ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐπράχθη ἢ δίκη ἐδικάσθη, ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ, ἄκυρα εἶναι.* cf. Andoc. de myst. §. 87., apud quem desunt verba: *ὁπόσα δ᾽ ἐπὶ τῶν τριάκ.* ——— *ἄκυρα εἶναι*, adjecta vero sunt verba: *τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι ἀπ᾽ Εὐκλείδου ἄρχοντος.* cf. Aeschin. c. Timarch. §. 39. cf. Meier. de bon. damn. pag. 70. et 71. ann. 232.

[18]) cf. Schoemann. Att. Proc. pag. 765. Hudtwalcker. l. l. pag. 117. ann. 60.

gefällten Urtheile, welche noch nicht in Vollziehung gesetzt sind, als nicht gesprochen betrachtet werden, und die vollzogenen in soweit ausser Kraft treten sollen, als sie die Person und die Rechtsfähigkeit der Verurtheilten betreffen" etc.; ad recuperanda bona abjudicata eam pertinuisse, litium renovandarum jus hac lege datum negat pag. 151. Paullo post vero pag. 152. sic pergit: „Die Klage des Kallimachus, welcher durch eine Phasis unter der Regierung der Zehnmänner eine Geldsumme eingebüsst hatte, giebt hinlänglich zu erkennen, dass das Amnestiegesetz seiner Fassung nach schwankend und dunkel gewesen sein muss und aus Mangel genauerer Bestimmungen mit der Verfügung über die Ungültigkeit der während der Anarchie erlassenen Entscheidungen nicht gehörig in Uebereinstimmung gesetzt worden. So geschah es vielleicht, dass die eine Parthei sich auf die Aufhebung jener Erkenntnisse, die andere sich auf die bewilligte Amnestie und die gestattete Paragraphe bezog, und dass demnach von der einen Seite die Erneuerung des Rechtsstreits als statthaft und zulässig, und von der anderen Seite das Gegentheil behauptet wurde." — Rescissae omnino sunt, opinor, illa lege sententiae oligarchiae tempore latae omnes, sive eas non exsecuti erant tyranni, sive jam subierant condemnati poenas ab illis impositas. Itaque si quis in exilium ejectus erat, jus civitatis recuperabat; si quis capite deminutus erat, rursum *ἐπίτιμος* fiebat et in pristinum statum restituebatur; et ex hac analogia, si quis tyrannorum judicio bonis privatus erat, rescisso judicio, sua reposcendi potestatem ei datam esse manifestum est. Si bona non statim restituebantur, quod jam pacis lege praescriptum erat, sine ulla dubitatione ei licebat causam suam iterum judicum cognitioni subjicere (*δίκην ἀνάδικον* reddere): hoc jus una cum sententiarum rescissione datum erat. Distinguendum vero est inter *δίκην ἀνάδικον* et actionem, qua quis poenam ab adversario repeteret. Si quis anarchiae tempore lite intenta effecerat, ut pecuniae summa alicui abjudicaretur sibique (actori) ipsi cederet, sola *ἀναδικία*, qua nihil aliud affectabatur, nisi ut eadem causa denuo dijudicaretur, jam suffecisse videtur ad recuperandam hanc pecuniam; qui antea victor discesserat, si, lite renovata, causa cadebat, summam ab adversario tum acceptam huic restituere debebat. Nec oblivionis lex tali *ἀναδικίᾳ* obstitisse videtur: jus postulandi ab adversario, ut restitueret, quae accepisset, quae injusta oligarchorum sententia ei adjudicata essent, hac lege non videtur sublatum esse: at impedimento haec lex erat, ne quis poenam insuper adversario tanquam calumniatori irrogaret. — Quid vero, si quis accusando effecerat, ut bona alicujus publicarentur? profecto hac quoque de re is, qui bonis spoliatus erat, per *ἀναδικίαν* novam sententiam quaerere poterat; at vero hac *ἀναδικίᾳ* sola haudquaquam id assequebatur, ut, causa de integro cognita, adversario, qui ex bonis illis nihil unquam accepisset, damni resarciendi poena imponeretur; immo, si bona injusta sententia publicata esse judicabantur, aequum erat vel ea ipsa vel pretium eorum e publico restitui.[19]) Quod quum exhausto aerario illa aetate fieri non posset, tempori cedendum erat. Hactenus oblivionis lex litibus renovandis sane non obstabat: ulterius vero progredi, contra eum, qui antea accusatoris partes egisset, actione poenali (ut hoc utar) venire, si *ἀναδικία* sola non videbatur sufficere ad damnum reficiendum, propter hanc legem non licebat. Quemadmodum alias, si quis vel per *ψευδομαρτυριῶν δίκην* vel per *ψευδοκλητείας δίκην* sententiam, qua ipse damnatus esset, aut injustam aut irritam esse evicerat, *δίκην κακοτεχνιῶν* habebat, qua poenas ab adversario repeteret;[20]) sic, rescissis omnibus judiciis, is, qui tyrannorum judicio bona amiserat, nisi *ἀμνηστία* fuisset concessa, sane habuisset actionem contra adversarium, malorum auctorem, qua efficeret, ut damnum sibi datum ab hoc resarciretur. Quamdiu oblivionis

[19]) Scimus etiam magistratum extraordinarium (*συνδίκους*) post eversam tyrannorum dominationem institutum esse, ad quem pertinerent ejusmodi causae, quibus vel aerarium privati alicujus bona vel privatus bona publicata repetebat (cf. Meier. Att. Proc. pag. 111.; cf. Scheibe l. l. pag. 143.). At vero certamen cum aerario publico inire, praesertim quum civitas pecuniae inopia laboraret, aleae plenum erat (cf. Lys. de bonis Aristoph. §. 11.)

[20]) cf Meier. et Schoemann. Att. Proc. pag. 385. sq. pag. 759. sq.

lex valebat, quaeque actio hoc consilio intenta prorsus rejicienda erat.[21]) Haec si teneas de legum illarum vi ac ratione, sane dubium esse non poterit, quid de Callimachi actionibus sit judicandum. Callimachus primum, ut supra dictum, contra Patroclem venit, delationem ad decemviros ab hoc factam esse contendens, deinde contra oratorem nostrum lites intendit, hunc malorum auctorem fuisse simulans; cum ab hoc tum ab illo postulabat, ut restitueretur sibi pecuniae summa oligarchorum judicio publicata, ut reficeretur damnum illo tempore sibi datum cf. §. 40.; *βλάβης* igitur *δίκαι* fuisse videntur, quas utrique intendit actiones.[22]) De his id valere debebat, quod modo dixi. Quod rescissum erat judicium decemvirorum auspiciis factum, talem actionem contra eum, qui accusatoris partes egerat, Callimachus sane habuisset, nisi oblivionis lex ei obstitisset. Haec quia exstabat, uterque et Patrocles et orator noster ab omni periculo liber erat, praesertim quum neutri eorum judicum oligarchicorum sententia pars pecuniae illius esset data, quam Callimachus per injuriam sibi abjudicatam et publicatam esse contenderet. Neque vero silentio praetermittendum est, quod Callimacho quodammodo opportunum fuisse Platnerus loco supra allato jure perhibuisse videtur. Quo facilius perspiciatur, quae fuerit oblivionis datae vis, oratorem nostrum sequentes hucusque posuimus, legis ipsius verbis praescriptum fuisse, ne quis judicio persequeretur „*τοὺς ἐνδείξαντας ἢ φήναντας ἢ τῶν ἄλλων τι τῶν τοιούτων πράξαντας.*" (§. 20.) At probabile est, tantummodo in universum oblivionem eorum, quae oligarchiae tempore commissa essent, accuratiore explicatione nulla omnino addita, lege praescriptam fuisse, itaque quae orator l. l. attulerit quasi ex lege ipsa ad verbum fere depromta, nonnisi interpretationem esse quasi summae illius: „*μὴ μνησικακεῖν τῶν γεγενημένων*" a nostro factam. Quo minus autem legis ipsius verbis apertum erat, quatenus facinorum oblivio esset data, quo plus dubitationis de recta ejus interpretatione relictum erat, eo facilius in spem prosperi eventus eorum, quae contra adversarios moliebatur, Callimachus adduci poterat. Huc accedit, quod oblivionis lex ab initio multum impugnabatur, multis, quibus molesta erat, eam negligendam vel abrogandam esse censentibus. Quod si hac tempestate, quum dissensiones illae moverentur, quum gratia ac benevolentia erga eos, quicunque tyrannorum adversarii fuerant, maxima esset, Callimachum et contra Patroclem in jus ambulasse et primas oratori insidias struxisse ponas: sane non latet, cur illi tum de pecunia solvenda cum eo pacti sint. Uterque parvam summam amittere quam periculosam litem habere maluit, quum nondum via esset Archini opera patefacta, qua jam priusquam causa ipsa judicibus cognoscenda traderetur, sola amnestiae lege allata ab omni periculo se liberarent. — Alia de duabus illis actionibus, quibus Callimachus postea contra oratorem nostrum venit, quaestio est. Posteaquam Nicomachi arbitrio pactio inter hos convenit, litem renovare, quod supra demonstratum est, omnino non licebat; nam res judicata erat. Quamobrem, quod nihilo minus Callimachus aliquanto post in jus descendit, pactionem illam aut prorsus silentio praetermittens tanquam non factam aut eam initam a se esse aperte negans, temere profecto atque inconsiderate egit, sive ante sive post legem ab Archino latam hanc actionem intendit, sive solam exceptionem rei judicatae sive praeter hanc etiam exceptionem illa lege datam adversarius jam tum habebat. Non minus altera actione offendimur. Nam quum passus esset Callimachus testem ab adversario adhiberi ad firmandam exceptionem interpositam: ad irritum eam redigere jam non poterat nisi teste (per *δίκην ψευδομαρτυριῶν*) falsi testimonii

[21]) Idem verbis, quae in extrema lege supra allata apud Andocidem exstant: „*τοῖς δὲ νόμοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος*," videtur praescriptum esse. Quae enim alia horum verborum vis est, nisi legibus secundum Tisameni legem recensitis (cf. Andoc. de myster. §. 83. sq.) utendum esse tantummodo contra eos, qui inde ab Euclidis anno eas violarint; quae ante Euclidis annum anarchiae tempore commissa sint, contra haec leges illas non valere. — Legum recensionem Tisameni lege imperatam, de qua modo mentionem feci, eo tempore, quum oratio adv. Callimachum habita est, jam factam esse docent verba §. 21: *νῦν δὲ οὐ μόνον ἐν τῇ θέσει τῶν νόμων ἐπεδείξασθε περὶ πολλοῦ ποιούμενοι τὰς συνθήκας, ἀλλὰ* etc.

[22]) cf. Meier. Att. Proc. pag. 478. sq.

convicto;[23]) causa primaria, quamdiu hoc non erat factum, omnino rejicienda erat. Itaque quod permittebatur Callimacho, ut loco actionis *ψευδομαρτυριῶν* contra testem eandem *βλάβης δίκην* atque antea iterum contra oratorem ipsum institueret, quod magistratus, cujus ad jurisdictionem causa pertinebat, hanc actionem non statim rejecit: facere non possumus quin injuriam quam maximam ab hoc admissam, gratiam ac benevolentiam aequo majorem illi praestitam esse judicemus. Callimachus hanc alteram actionem longiore temporis intervallo instituisse videtur, quo tempore, quia pacati erant civium animi, a benevolo judice jam non tantum momenti, quantum ab initio, in oblivionis lege positum iri sperare posset.[24])

Paragraphes, quam orator Archini lege fretus Callimacho opposuit, eadem vis erat atque *διαμαρτυρίας* illius, qua antea usus erat; causa Callimachea cognoscenda judicibus non poterat committi, quamdiu non constabat, utrum exceptio illa justa an injusta esset. Modus autem *παραγραφῆς* interponendae hic erat. Orator pro se ipse intercedens (non per testem, sicuti antea) eam scripto consignatam magistratui litem instruenti (*ἀνακρίνοντι τὴν δίκην* cf. Meier. et Schoemann. Att. Proc. pag. 27. sq. 622. sq.) tradere debebat. Quò facto, quum Callimachus resisteret, novae hujusce litis instructione facta, judicium exercendum erat, utrum causa primaria in judicium deducenda videretur an rejicienda, et coram judicibus orator ipse exceptionem suam defendens priorem orationem habebat. Haec omnia tam plana sunt, ut iis diutius immorari longum sit.[25]) Itidem de magistratu causas in judicium introducente dubitari vix poterit. Constat apud eundem semper magistratum, ad quem causa primaria delata erat, etiam exceptionem fuisse interponendam. Quamobrem non dubium est, quomodo interpretanda sit Archini lex: „*ἄν τις δικάζηται παρὰ τοὺς ὅρκους, ἐξεῖναι τῷ φεύγοντι παραγράψασθαι, τοὺς δὲ ἄρχοντας περὶ τούτου πρῶτον εἰσάγειν*“ et mirum profecto, quod Scheibius l. l. pag. 142., ubi de hac lege mentionem fecit, ea permissam esse dicit: „die Exception der Widerrechtlichkeit der Klage und die Appellation an die Archonten.“ Facile enim ex his elicias,[26]) hac lege potestatem datam esse ab eo magistratu, apud quem actio instituta esset,

---

[23]) Vide explicationem Schoemanni Att. Proc. pag. 639. sq. — Editores veteres §. 11. orat. nostr. haec habent: „*προβαλλομένου δ' ἐμοῦ μάρτυρας, ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἡ δίκη διαίτης γεγενημένης, ἐκείνῃ μὲν οὐκ ἐπεξῆλθεν*“ etc. Quoniam §. 15. exstat lectio: „*ἐπειδὴ τῷ μάρτυρι φανερός ἐστιν οὐδ' ἐπεξελθεῖν ἀξιώσας,*“ etiam hoc loco non „*μάρτυρας,*“ quod libri manuscripti omnes habent, sed „*μάρτυρα,*“ quod Bekkerus et Sauppius et Baiterus jam receperunt, scribendum videtur. Non minus placet mutatio a Bekkero facta vocis „*ἐκείνῃ*“ in „*ἐκείνῳ*“ (scil.: *τῷ μάρτυρι*), praesertim quum eandem habeamus verborum structuram loco illo modo allato §. 15.; quamquam inepta prorsus lectio „*ἐκείνῃ*“ non est; *ἐκείνῃ* scil. *τῇ δίκῃ ἐπεξελθεῖν* h. e. exsequi causam suam Callimachus non poterat, nisi teste oratoris falsi testimonii convicto.

[24]) Quantum temporis ab eversa tyrannorum dominatione praeterierit, quum causa Callimachea ad judicium pervenit, accuratius definiri non potest. Weissenborn. Isocr. von Athen in Ersch. et Grub. Encycl. Sect. II. vol. 25. pag. 55. sic scribit: „Die Rede ist vielleicht die erste, welche von Isokrates geschrieben wurde; denn sie ist bald nach der Herrschaft der Dreissig abgefasst, wie §. 29. beweist, zu einer Zeit, wo die Athener noch von Sparta ziemlich abhängig waren“ — quod vir doctiss. conjicit ex verbis: „— *εἰς ὅρκους καὶ συνθήκας κατεφύγομεν, ἃς εἰ Λακεδαιμόνιοι τολμῷεν παραβαίνειν, σφόδρ' ἂν ἕκαστος ὑμῶν ἀγανακτήσειε.*“ — Benseler. in tabell. chronol. l. l. pag. 76. proximo post Euclidis archontis annum Ol. 94. 3. orationem scriptam esse statuit. Consultissimum videtur vel cum Pfund. de Isocr. vita pag. 17., cum quo Benselerus in edit. Isocr. opp. I. pag. 11. consentit, eam ad Olymp. 94. 4. vel cum Kruegero ad Clintoni Fast. Hellen. pag. 101. ad Olymp. 95. init. referre.

[25]) Vide quae Schoemann. Att. Proc. pag. 645. seq. exposuit. — Oratorem nostrum non solum principem fuisse, qui jus prioris orationis sibi vindicaret, verum etiam principem, qui paragraphe Archini lege concessa uteretur, ex §. 1. orat. nostr. manifestum est; nec satis probata videtur Hudtwalckeri sententia, qui (de diaetet. pag. 154. ann. 93.) hoc negat ea de causa, quod §. 22. Philo quidam (Phido?) *παραπρεσβείας* accusatus, ut se defenderet, oblivionis legem attulisse et auctoritate ejus liberatus esse feratur. Philonem aeque atque oratorem nostrum paragraphe illa ab Archino data usum esse ad repellendum adversarium ex illo loco non constat.

[26]) Id quod viro doctiss. Rospatt: Die politischen Parteien Griechenlands etc. pag. 133. accidit.

ad collegium novem praetorum, qui proprio nomine *ἄρχοντες* dicebantur, provocandi, id quod prorsus absonum esset. Quoniam variae erant actiones oblivionis lege prohibitae eaque de causa aliae ad alios pertinebant magistratus, apparet non solum novem praetores, sed omnino omnes magistratus, quicunque aliquam tum jurisdictionem habebant, *ἀρχόντων* nomine ibi esse significatos, ut saepissime apud veteres grammaticos nec non apud ipsos scriptores graecos. Neque quidquam aliud hac lege praescriptum erat, nisi ut idem magistratus, apud quem actio instituta esset, exceptionem a reo interpositam in judicium deduceret *πρῶτον* h. e. antequam causa ipsa judicum cognitioni committeretur. Quem vero ad magistratum actio Callimachea pertinuerit, quamvis ex oratione non comperiamus (nam orator nonnisi uno loco saepius jam laudato §. 12. eum commemorat ibique voce „*ἀρχή*“ utitur), tamen non difficile est cognitu. Apud eundem magistratum, ad quem delatio a Patrocle facta erat, institui non poterat, decemviris principatu dejectis. Nullum profecto reperias nisi Thesmothetas, ad quos *δίκην βλάβης* plerumque pertinuisse constat.[27])

Restat, ut de sacramentis et multis in oratione commemoratis paucis exponam. Quaeritur primum. quid periculi fuerit Callimacho, quum actionem institueret. Scimus in causis privatis, una *αἰκίας* causa excepta, omnibus, quae quidem centum drachmarum summam excederent, sacramenta (*πρυτανεῖα*) a litigantibus deposita esse, hac tamen lege, ut qui victor evasisset, sacramentorum suorum pretium ab adversario recuperaret. Haec *πρυτανεῖα* initio utriusque litis a Callimacho institutae deponenda erant, tricenae utrique litigantium drachmae, quia litis aestimatio decem millium drachmarum summam non superabat.[28]) — *Ἐπωβελίας* in oratione commemoratae (h. e. multae, sextae decies mille drachmarum partis, ab eo, qui quintam in judicio suffragiorum partem non tulisset, dependendae) periculum non tam actionibus a Callimacho institutis, quam exceptionibus ab oratore interpositis conflatum est.[29]) Orator simulatque *διαμαρτυρίαν* interposuit, sponsionem (*παρακαταβολήν*) h. e. decimam ejus summae, de qua litigabatur, partem videtur deponere debuisse,[30]) quae Callimacho cessisset, si is testem adversarii falsi testimonii convicisset. Callimachus contra si testem illum in jus vocatum convincere non potuisset, si ne quintam quidem suffragiorum partem in judicio nactus esset, epobeliam oratori solvere debuisset,[31]) et haec erat causa, qua motus testem falsi testimonii non arcessivit, immo primariam quoque litem deserere maluit. Re de integro commota actionem rursus eandem intendit „*ὡς ἐν τοῖς πρυτανείοις μόνον κινδυνεύσων*“ h. e. eam ita scripsit, ut caveret, ne parem *διαμαρτυρίαν* adversarius iterum sibi opponere posset neve ipse *ἐπωβελίας* periculo jam esset obnoxius. — De paragraphe, quam orator ei opposuit, lege Archini sancitum erat: „*ὁπότερος ἂν ἡττηθῇ, τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν.*“ Uter litigantium superabatur, is adversario et sacramenta restituere et epobeliam solvere debebat; hoc erat periculum illud Callimacho aeque atque oratori impendens. quod commemoratur §. 12: *ἡγησάμην εἶναι κράτιστον, ἐξ ἴσου καταστήσαντα ἀμφοτέροις τὸν κίνδυνον εἰσελθεῖν εἰς ὑμᾶς.*“ — Sed haereat fortasse aliquis in verbis §. 35: „*οἶμαι δ' αὐτὸν* (Callimachum) —— *λέξειν ὡς δεινὰ καὶ σχέτλια πείσεται, εἰ τῶν χρημάτων, ὧν ἐπὶ τῆς ὀλιγαρχίας ἀφῃρέθη, τούτων ἐν δημοκρατίᾳ τὴν ἐπωβελίαν ὀφλήσει, καὶ εἰ τότε μὲν διὰ τὴν οὐσίαν τὴν αὑτοῦ φυγεῖν ἠναγκάσθη, νυνὶ δ' ἐν ᾧ χρόνῳ προσῆκεν αὐτὸν δίκην λαβεῖν, ἄτιμος γενήσεται.*“ Quemadmodum in causis publicis actori. qui quintam suffragiorum partem in judicio non adeptus esset, mille drachmarum multa conjuncta cum

---

[27]) cf. Meier. et Schoemann. Att. Proc. pag. 480.

[28]) v. §. 3: *δεινὸν οὖν ἡγησάμην τὸν μὲν συκοφάντην ἐν τριάκοντα δραχμαῖς κινδυνεύοντα κ. τ. λ.* cf. §. 12: *τὴν αὐτὴν δίκην ἐγράψατο, ὡς ἐν τοῖς πρυτανείοις μόνον κινδυνεύσων.*

[29]) v. Schoemann: Att. Proc. pag. 641.; cf. pag. 733.; cf. Platner l. l. I. pag. 175.

[30]) v. Schoemann l. l. pag. 640. — Quoniam Callimachus exceptionem oratoris non impugnavit, etiam *παρακαταβολή* illa quin oratori restituta sit, dubitari non potest.

[31]) v. §. 12: *ἐκείνῳ (ἐκείνῃ) μὲν οὐκ ἐπεξῆλθεν, εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ μεταλάβοι τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, τὴν ἐπωβελίαν ὀφλήσει.*

capitis deminutione aliqua imponi solebat, ita utramque simul poenam et *ἐπωβελίαν* et *ἀτιμίαν* Callimacho conflatam esse profecto incredibile est. Vestigium certe aliquod veri in iis inesse videtur, quae Hieron. Wolfius ad hunc locum animadvertit: „qui multam non solvissent, eos in aerarios relatos jus adipiscendorum magistratuum non habuisse.“ Neque vero satis accurate Wolfius explicavit, qui fieri potuerit, ut talis multa, quae aerario publico cedebat, Callimacho imponeretur. Callimachus exceptione ab adversario opposita repulsus multam (*ἐπωβελίαν*) huic solvere debebat; quam si propter egestatem non penderet, adversario licebat per *δίκην ἐξούλης* (actionem judicati) eum arcessere, quae erat cum multae in aerarium pendendae irrogatione conjuncta; quodsi ne tum quidem Callimachus debitam *ἐπωβελίαν* unaque cum ea multam insuper impositam solveret, aerarii debitor et hac ipsa de causa *ἄτιμος* erat. (Rem simillimam vide infra in comment. de orat. *π. τ. ζεύγους* §. 46. expositam; cf. quae Schoemann. in edit. Isaei oratt. pag. 443. ad orat. de Aristarchi hered. §. 17. animadvertit. cf. Att. Proc. pag. 748. cf. pag. 487. sq.)

ORATIO ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΖΕΥΓΟΥΣ.

Quae nobis servata est Isocratis oratio *περὶ τοῦ ζεύγους* tota fere laudibus Alcibiadis celebrandis continetur, causae, quae agitur, ipsius nonnisi initio orationis et in postrema ejus parte mentio facta est, et quae his locis ab oratore afferuntur, sane ita sunt comparata, ut accuratior quaedam causae notitia inde percipi non possit. Tisias quidam Atheniensis, equorum jugo ab Alcibiade spoliatus, hujus defuncti filio [1]) dicitur „*δίκην πέντε ταλάντων*“ intendisse; hoc fere est, quod ex oratione nostra, qua Alcibiadis filius contra Tisiam se defendit, de totius controversiae ratione comperimus. Etsi vero causa minus accurate exposita et pertractata est, etsi ita composita est oratio, ut laudatoriam magis quam judicialem eam dicas: tamen inde non jam hoc elucet, eam revera non esse ad usum forensem scriptam. In orationis exordio ad praecedentem aliquam causae explicationem haud occulto respicitur. Quam accuratiorem facti enarrationem et pertractationem utrum in orationis nostrae ipsius parte amissa, an in praecedente aliqua oratione, cui haec secundo loco adjuncta sit, datam esse judicemus, non satis liquere mihi videtur. Baitero quidem (Orat. Att. I. pag. 291.) non dubium est ab initio orationis quaedam deesse, partem orationis ipsius priorem periisse, idque non sine probabili causa. Testatus enim est Bekkerus (Or. Att. vol. II. pag. 417.) in contextu codicis Urbinatis omnium praestantissimi abesse finem orationis *περὶ ἀντιδόσεως* et sine ulla lacunae nota verba: „*τοῖς ἰδίοις ἀγῶσιν*“ orationis *π. τ. ζεύγους* §. 3. inferri. Haec videntur docere, folium unum vel plura hoc loco excidisse ex codice eorum, quos novimus, patre. Quae initio orationis nostrae leguntur: „*Περὶ μὲν οὖν τοῦ ζεύγους τῶν ἵππων ὡς οὐκ ἀφελόμενος ὁ πατὴρ Τισίαν εἶχεν ἀλλὰ πριάμενος παρὰ τῆς πόλεως τῶν Ἀργείων, τῶν τε πρέσβεων τῶν ἐκεῖθεν ἡκόντων καὶ τῶν ἄλλων τῶν εἰδότων ἀκηκόατε μαρτυρούντων,*“ aptissima esse ad partem orationis parti praecedenti annectendam concedas, praesertim si titulum *ΜΑΡΤΥΡΙΑΣ* proxime praecessisse sumas. At

[1]) Hunc Alcibiadis et Hipparetae filium, qui vitiis tantum, non splendidis virtutibus patrem aequasse fertur, quum ex oratione nostra tum ex duabus Lysiae orationibus XIV. et XV. contra eum scriptis cognitum habemus. Iis, quae Hertzberg. in libro: Alcibiades der Staatsmann und Feldherr. pag. 357. sq. de ejus vita ac moribus congessit, non habeo quod adjiciam.

vero nullum usquam in reliqua oratione vestigium partis amissae, nullum excepto exordio locum reperias, quo ad ea, quae priore argumentatione aliqua evicta sint, vel obiter respiciatur. Praecessisse huic nostrae totam orationem ad defendendum Alcibiadem filium compositam, cum qua nostra velut transitione quadam conjungatur, servatam nobis esse orationem secundo loco habitam, alii conjecerunt.[2]) Quidquid de his judices, sive hanc sequaris sententiam, quam modo attuli, sive nos orationem mutilam habere, partem ejus priorem, quae accuratiorem causae explicationem contineret, periisse existimes: orationem nostram ad litem forensem re vera pertinuisse eoque consilio, ut coram judicibus haberetur, scriptam esse, quominus persuasum habeas, nihil obstat.

Alcibiadem quadrigas civi alicui Atheniensi ereptas vel fraude subductas in certamen Olympicum misisse Diodorus Siculus (XIII. 74.), auctor orationis quae vulgo fertur Andocidis *κατὰ Ἀλκιβιάδου* (§. 26. sq.), Plutarchus (vita Alcib. cap. 12.) tradunt; non secus orator noster conjunctionem aliquam facinoris ejus, de quo Tisias conquestus sit, cum victoria Alcibiadis Olympica significat.[3]) Sed Diomedem, non Tisiam illi hominem injuria ab Alcibiade affectum nominant. Plutarchus tamen nihili faciens hoc nominum discrimen res confundit et ad quadrigas illas, quas Diomedi dicit ereptas esse, et actionem Alcibiadis filio intentam et orationem ab Isocrate scriptam pertinuisse existimat.[4]) Quam opinionem contemnendam esse, causam Tisianam ab altera Diomedea distinguendam, alteram ab altera prorsus alienam esse Coraës aliique, qui Isocratem ediderunt, nec non Wesselingius ad Diodor. Sic. l. l. censuerunt. Meierus quoque (quod ex Hertzbergi libro pag. 142. cognovi) in commentatt. de Andocidis quae vulgo fertur oratione *κατὰ Ἀλκιβιάδου* has duas causas distinxit, utrumque et Diomedem et Tisiam ab Alcibiade curru spoliatum esse contendit. Doleo quod mihi non contigit, ut indices illos lectionum univers. litt. Halensis, in quibus inde ab anno 1836. sq. hae commentationes editae sunt, omnes colligerem et quae a Meiero allata sunt, accuratius perlustrarem. Sed video rem Hertzbergio adhuc dubiam esse, et profecto in iis ipsis, quae de injuria Diomedi illata a scriptoribus feruntur, sunt, e quibus facile quis contrarium eliciat. Plutarchus narrat Diomedem illum, palmam Olympicam appetentem, quum currum Argivorum publicum (*δημόσιον*) venalem esse comperisset, Alcibiadi familiari Argis auctoritate multum valenti multisque ibi amicis gaudenti mandasse, ut suo (Diomedis) nomine suaque pecunia quadrigas illas redimeret; deinde, emtione

[2]) Ex Hertzbergi libro laud. pag. 12. cognovi Meierum in commentatt. de Andocidis quae vulgo fertur oratione *κατὰ Ἀλκιβιάδου* hanc orationem nostram *δευτερολογίαν* vocasse, qua significatione jam Hieron. Wolfius (in edit. Isocr. opp. c. ann. nov. et castig. Basil. 1570.) usus est. Animadvertas tamen, quod Schoemannus explicat Att. Proc. pag. 709. sq., apud veteres *δευτερολογίαν*, *τριτολογίαν* etc. esse orationes causidicorum (*συνηγορίας*) post priorem aut actoris aut rei orationem, prout ad hunc vel illum adjuvandum pertinerent, habitas; litigantium ipsorum orationes priores et posteriores *λόγους προτέρους* et *λόγους ὑστέρους* dici.

[3]) cf. §. 49: *ἀγανακτῶ* —— *εἰ διὰ τὴν τοῦ πατρὸς νίκην τὴν Ὀλυμπιάσιν ἀτιμωθήσομαι.* — De hac victoria orator accuratius dicit §. 32. sq. Alcibiadem *θεωρόν* ab Atheniensibus ad Olympia missum (cf. Thucyd. VI. 16. cf. Krause Olympia etc. [1838.] pag. 80. sq. de theoris.) magnificentia ac liberalitate vel maxime eluxisse, in hoc omnes consentiunt. Septem quadrigas in certamen misit easque tam egregias, ut tres palmas referret. cf. Thucyd. VI. 16. Plut. Alc. 11. Athen. I. p. 3. d. sq., a quibus Isocrates (or. nostr. §. 34.) in eo discrepat, quod Alcibiadem tres primas palmas rettulisse dicit; illi primam, secundam, quartam narrant. — Quadrigas ab Alcibiade in certamen missas noster *ζεύγη* vocat, qua voce non solum duorum, sed etiam plurium equorum juga significari constat. Quatuor equorum currus illos Alcibiadis fuisse scimus. Bigis non ante Ol. 93. 1. in ludis Olympicis certabatur, quo anno Euagoras primus *ἵππων τελείων συνωρίδι* vicit. cf. Diodor. XIII. 75. cf. Krause Olympia pag. 73. sq. e. a. c. Victoriam illam ab Alcibiade Olymp. 91. (a. 416.) reportatam esse docent Dodwell. Annal. Thucydid. pag. 691. ed. Bauer.; Krause Olympia pag. 240.; alii, quos Hertzberg. l. l. pag. 141. ann. 70. laudat. Grote (hist. Graec. IV. pag. 44. sq. ann. 83. vers. Meissner.) Alcibiadem Olymp. 90. (a. 420.) vicisse probare studuit.

[4]) cf. l. l.: *Φαίνεται δὲ καὶ δίκη συστᾶσα περὶ τούτου, καὶ λόγος Ἰσοκράτει γέγραπται περὶ τοῦ ζεύγους ὑπὲρ τοῦ Ἀλκιβιάδου παιδός, ἐν ᾧ Τισίας ἐστίν, οὐ Διομήδης ὁ δικασάμενος.*

facta, Alcibiadem hunc currum intervertisse et suorum curruum in numerum adscripsisse (— *πριάμενος δ' Ἀλκιβιάδης ἴδιον ἀπεγράψατο* —). Ab his paullulum discrepant, quae Diodorus fert, sed non adeo, ut non possint facile cum his conjungi; omissis, quae a Plutarcho allata sunt de emtione Argis facta, Diomedem tradit cum Alcibiade quadrigas ad Olympia misisse; in nominis autem subscriptione usitata (*κατὰ τὴν ὑπογραφὴν τὴν εἰωθυῖαν γίνεσθαι* —— „Mos enim erat, ut prius pugnaturi profiterentur ac subscriberent suos esse equos, quam in certamen committerentur.“ Wesseling.) Alcibiadem eas sibi vindicasse gloriamque victoriae his ipsis quadrigis reportatae abstulisse et equos insuper bona fide creditos Diomedi non restituisse.[5]) Haec autem omnia ad Tisiae causam, quoad eam ex oratione nostra cognitam habemus, optime quadrant. Affirmat enim orator, Alcibiadem jugum illud, quo Tisias se spoliatum esse criminatus sit, de Argivis (*παρὰ τῆς πόλεως τῶν Ἀργείων*) emisse. Quod nisi forte putes Plutarchum ex hac oratione, quo facilius res per se diversas confunderet, ad currum Diomedeum transtulisse, vel eum rem aliunde cognitam, quam ad Tisiam debuisset referre, falso de Diomede prodidisse existimes: profecto vix credibile est, currum Diomedi subductum non fuisse eundem atque illum, de quo Isocrates dicit. Huc accedit, quod, si urgeas verba illa supra laudata: „*ἀγανακτῶ* —— *εἰ διὰ τὴν τοῦ πατρὸς νίκην τὴν Ὀλυμπιάσιν ἀτιμωθήσομαι,*“ elicere ex his possis, Tisiam sibi vindicasse equorum jugum, quo Alcibiades Olympiae vicerat; idem Diomedem fecisse Diodorus testatur. Restat vero discrimen et nominum Diomedis et Tisiae et *τιμημάτων* ab utroque scriptorum; Diomedes enim Diodoro teste anno 407. Alcibiadi litem octo talentorum intendit. Quae quum ita sint, res ambigua est, et mittamus eam, praesertim quum inde ad interpretationem orationis nostrae nihil fere proficiamus.

Tisias prout sibi currum aut fraude subductum aut vi ereptum esse criminabatur, si Alcibiadem ipsum judicio persequi conatus esset, varias habuisset actiones, sine ulla dubitatione etiam talem, qua praeter damni illati pretium etiam poenam insuper ab eo repeteret. Quoniam vero contra Alcibiadem ipsum Tisias non venit, sed filio ejus actionem intendit, quem delicti participem fuisse contendere non poterat: poenalis, ut hoc utar, haec actio sane non erat. Actiones poenales, ut ita dicam, personae ejus, qui deliquit, inhaerent.[6]) Qualecunque erat facinus ab Alcibiade patre patratum, a filio Tisias nihil aliud postulare poterat, nisi ut damnum a patre datum resarciret. Actio a Tisia intenta *βλάβης δίκη* videtur fuisse;[7]) damnum ab eo quinque talentis aestimatum est.

Quae quum ita sint, quaeritur, quomodo interpretemur orat. nostr. §. 46. sq., ubi de *ἀτιμίας* periculo Alcibiadis filio impendente mentio facta est. „*Καὶ τὸ μὲν ἔγκλημά ἐστι περὶ χρημάτων*, inquit orator, *ἀγωνίζομαι δ' εἰ χρὴ μετεῖναί μοι τῆς πόλεως· τῶν γὰρ αὐτῶν τιμημάτων ἐπιγεγραμμένων οὐ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπασιν ὁ κίνδυνός ἐστιν, ἀλλὰ τοῖς μὲν χρήματα κεκτημένοις περὶ ζημίας, τοῖς δ' ἀπόρως ὥσπερ ἐγὼ διακειμένοις περὶ ἀτιμίας.*“ Omni ope non sumus ita destituti, ut, quid lateat in verbis modo allatis, non possimus cognoscere; rem simillimam esse ejus, de qua supra dixi in commentat. de orat. adv. Callim., apparet. *Ἀτιμίας* periculum illud reo non ipsa illa *βλάβης* actione a Tisia intenta conflatum est; fieri non poterat, ut Alcibiades filius condemnatus, si summam illam quinque talentorum propter egestatem solvere non posset, hac de causa statim capite deminueretur. Sed Tisias efficere poterat, ut adversarius aerarii debitor fieret, per *δίκην ἐξούλης* (actionem judicati), quae erat cum multae in aerarium

---

[5]) Magis discrepat, quod auctor orationis Andocideae in Alcib. l. l. narrat, Diomedem ipsum cum equorum jugo certandi causa Olympiam se comtulisse ibique Alcibiadem equos illos per vim aliquam (cf. §. 27.) ei eripuisse et in certamen misisse.

[6]) cf. Platner l. l. II. pag. 332. sq.

[7]) Similem causam vide apud Demosthenem in orat. *πρὸς Ναυσίμαχον καὶ Ξενοπείθη*; hi duo viri, Nausimachus et Xenopithes, dicuntur Aristaechmum, qui tutor eorum fuerat, *ἐπιτροπῆς* actione accusavisse, plurimis vero annis post. Aristaechmo mortuo, filiis ejus propter damnum a patre tutore datum *βλάβης* actionem intendisse.

pendendae irrogatione conjuncta. Damnatus quamdiu multam impositam non solvisset, *ἄτιμος* erat, ut qui aerario deberet.[8]) Hanc quidem si teneas interpretationem, omnia plana sunt atque perspicua.

Isocrates pro benevolentia sua erga Alcibiadem patrem[9]) occasione oblata utitur ad reprobandas plurimas, quae post ejus mortem pervulgatae erant, inimicorum de vita ejus et publica et privata calumnias. A causa clientis, quam paucis attingit, mox ad celebrandam Alcibiadis virtutem et rerum gestarum gloriam transit, et longe major orationis pars in laude viri clarissimi versatur. Quoniam autem nostrum hoc loco non est historiam Alcibiadis scribere, profecto fieri non potest, ut ea omnia, quae ab oratore aut uberius tractata aut quasi in transcursu commemorata sunt, accuratius nunc explicem. Pauca liceat annotare, dum summam orationis expono, ne forte plane praetermisisse videar id, quod primarium est in oratione. Summa eorum, quae ab oratore (Alcib. fil.) proferuntur, haec est:

§. 2. sq. Quicunque de privatis negotiis contra se veniant, hos omnes ait de rebus ad rempublicam pertinentibus solere accusare et plus temporis consumere patre Alcibiade criminando, quam explicandis iis, de quibus litem intenderint. A Tisia patris exilium saepius sibi objici. Juniorum causa hac de re accuratius dicendum sibi esse, ne forte quis calumniatorum opera in errorem inducatur.

§. 5—9. Alcibiadem per eosdem viros, a quibus plebis potestas Athenis eversa sit, urbe pulsum esse. Novarum enim rerum studiosos hosce viros eum ad coëundam secum societatem vocasse:[10])

---

[8]) cf. Schoemann. Att. Proc. pag. 743. sq.

[9]) cf. etiam Isocr. Philipp. cap. 24. Busir. cap. 2.

[10]) Factionem quandam oligarchicam, quam vocant, Athenis per longam annorum seriem fuisse, qnae nefariis suis consiliis diu viam in occulto muniisset, donec subito dominationis esset potita, viri doctissimi conjecerunt. Prae ceteris Droysenius docte et subtiliter hac de re disseruit in egregia illa de Avibus Aristophanis et de Hermocopidis commentatione, qnae est in Musei Rhenani a Welckero et Naekio editi vol. III. 2. et IV. 1.; Alcibiadem ab ipsa illa paucornm factione in exitum pulsum esse statuit. — Scheibius (Die oligarch. Umwälzung etc. pag. 5.) cum eo consentit, iis, quae tum contra Alcibiadem agitata essent, factionem oligarchicam, quae antea in singulas sodalitates dispersa fuisset, quodammodo coaluisse et consiliis communicatis majorem vim ac pertinaciam nactam esse et certum quendam finem, quo tenderet, sibi proposuisse. — Buettnerus (qui sententiam suam persuasit C. F. Hermanno Berlin. Jahrb. f. wiss. Kritik 1842 pag. 135.) in comment. de hetaeriis (cf. imprimis pag. 66. sq.) Androcli demagogo (— *ὥσπερ καὶ τὸν Ἀλκιβιάδην οὐχ ἥκιστα ἐξήλασεν.* Thucyd. VIII. 65. cf. Plut. Alcib. c. 19. 20.) in insidiis Alcibiadi paratis jure partes amplissimas vindicat ejusque contentiones magni momenti fuisse dicit. Cum hoc ad iram populi contra Alcibiadem exoitandam praeter alios viros minus notos dicit conjunctos fuisse Pisandrum et Chariclem, posterioribus temporibus paucorum imperii fautores vel maxime strenuos et ipsos alterum in quadringentorum alterum in triginta virorum dominatione conspicuos, qui tum pro vindicibns et propugnatoribus libertatis publicae plebisque potestatis se gesserint. „Wir sehen, inquit Buettnerus pag. 68., dass ein wahrhaft politisches Parteiinteresse bei der ganzen Sache (dem Hermokopiden-Process und was damit zusammenhing) eigentlich gar nicht im Spiele war, sondern dass als Anstifter des Processes sich solche Personen zusammenfanden, deren Gegner zufällig dieselben waren, und die nicht bloss, wie Thucydides sagt, den Alcibiades, sondern überhaupt jeden aus dem Wege räumen wollten, der ihrem Streben, die Ersten zu sein, hinderlich schien.“ (Quod Buettnerus fert, Androclem societatem contraxisse, adjiciens pag. 69.: „ihr unterscheidender Charakter ist der, dass sie Leute von der verschiedenartigsten Gesinnung zur Durchführung eines bestimmten einzelnen Zweckes vereinigte,“ probatu difficile videtnr). — Hertzberg. l. l. in certae factionis oligarchicae tum coalescentis machinationibus (quas Grote l. l. illo tempore deprehendi prorsus negat) plus momenti esse dicit; contra Alcibiadem oligarchis demonstrat adjutores fuisse demagogos, communi in illum odio cum iis conjunctos. Utrisque anctoritatem sibi et potentiam quaerentibus admodum importunum fuisse Alcibiadem; hoc incolumi nullam iis successus spem relictam esse; nam Alcibiadem non eum fuisse, qui quemquam potentiae suae participem faceret. Eo e medio sublato, et oligarchos et demagogos sperasse, se primos in civitate fore. Hanc fuisse causam, cur utrique conjuncti ante omnia id spectassent, ut Alcibiadem populo suspectum redderent et auctoritate dejicerent. — Ex omnibus iis, quae viri doctissimi commentati sunt, apparet tantummodo ex parte aliqua verum esse, quod Isocrates §. 4. dicit, eosdem viros, qui postea populum potestate exuerint et paucorum imperium constituerint, Alcibiadem patria expulisse. Quod orator fert §. 5. cf. 36. sq., illos viros, popularem rei-

quod quum recusasset ille populoque fidelem se praebuisset, eos operam dedisse, ut e medio eum tollerent. Quo consilio quum conjunctis mysteriorum profanationis rerumque novarum studii criminibus contra eum venissent, Alcibiadem in concione tam evidenter eos mendaciorum coarguisse, ut dux expeditionis in Siciliam crearetur et calumnia liberatus proficisceretur.[11]) Posthaec vero quum obtrectatores, re de integro commota, effecissent, ut revocaretur ab exercitu et ex ejus amicis alii occiderentur alii urbe pellerentur, quin etiam ut ipse absens damnaretur: tum eum non statim ad hostes confugisse, sed postea demum necessitate quadam coactum, quum obtrectatores tota Graecia eum pellendum esse et proscribendum et per legatos ab Argivis exposcendum populo Atheniensium persuasissent.[12])

§. 10. sq. Tamen hanc fugam Alcibiadi in crimen verti et reprehendi eum, quod magister hostium exstiterit, Deceleam munierit, insulas ad defectionem impulerit; quaecunque acta sint illo tempore, ei uni adscribi. Quibus de rebus si per tempus liceat, facile posse ita exponi, ut alia eum jure egisse, de aliis eum injuste in crimen vocari appareat. Iniquissimum certe esse, si ipse, filius, propter patris exilium plectatur.

§. 12—15. Et jure illi quoque veniam esse tribuendam, quod patria pulsus redire ab exilio studuerit. Athenienses enim etiam ipsos tum, quum a triginta viris essent expulsi, nihil omisisse neque ullum periculum non adiisse, ut in patriam reversi poenas de iis sumerent, a quibus ejecti

publicae statum abrogare cupientes, Alcibiadem ad coëundam secum societatem vocasse, non credibile est; jam tum ante expeditionem Siciliensem certa consilia de constituenda paucorum dominatione inita esse probari non potest. Multo etiam minus Isocrates nobis persuadebit, Alcibiadem vera ac sincera erga populum benevolentia permotum societatem cum conjuratis oligarchicis repudiasse.

[11]) Haec omnia, quae orator h. l. attulit, minus accurata sunt nec erroribus vacant. Falsum est, quod dicit Alcibiadem in illa concione adversarios mendaciorum coarguisse ipsumque liberatum esse, falsum, quod fert in illa demum concione eum ducem esse electum. Longe aliter Thucydides (VI. 29.) et Plutarchus (Alcib. c. 19. cf. Corn. Nep. Alcib. 4.) Alcibiadem narrant, cognitis inimicorum insidiis, in concione rogasse, ut statim de praesente quaestio haberetur et judicium ferretur; adversarios vero, auctoritatem ejus pertimescentes (— acceptissimus enim Alcibiades erat quum toti exercitui tum sociis —) et praesentem invictum fore ratos, impulisse populum, ut inquirendam causam usque ad classis reditum differret; ne quid morae expeditioni fieret. Alcibiadem populi jussu cum classe profectum esse neutiquam insontem judicatum. — Ceterum et Thucydides et Plutarchus tantummodo delationes (*μηνύσεις*) quorundam „*μετοίκων καὶ ἀκολούθων*," quibus usi sint Alcibiadis inimici ad populi iram excitandam et suspicionem obnixe firmandam, antequam classis altum peteret, factas commemorant (cf. Andoc. de myster. §. 11. sq.). *Εἰσαγγελία* illa, quam Isocrates jam tum contra Alcibiadem institutam esse h. l. tradit, quin ab Androcle demagogo illata sit, Hertzbergio (l. l. pag. 175.), collatis quae apud Plutarchum l. l. cap. 19. exstant, non dubium est. — De hac *εἰσαγγελίᾳ* ab oratore nostro commemorata haec liceat adjicere. Alcibiadis causa a reliquorum, qui Hermarum mutilationis crimine arcessebantur, causis diversissima erat. Duo fuisse crimina Isocrates narrat, quorum insimularetur Alcibiades, alterum, quod sodalitatem contraxisset ad evertendum statum popularem, cujus sceleris accusationem ordinariam *γραφὴν καταλύσεως τοῦ δήμου* apud Thesmothetas fuisse ex Demosthene discimus (adv. Stephanum orat. II. §. 26.), alterum, quod mysteria in Pulytionis domo profanasset, quod flagitium proprie *ἀσέβεια* eoque nomine appellatur apud Plutarchum in Thessali *εἰσαγγελίᾳ*, quae a priore illa distinguenda est; *ἀσεβείας* autem *γραφή* ad jurisdictionem regis sacrorum (*ἄρχ. βασιλ.*) pertinebat (cf. Meier. Att. Proc. pag. 300. sq.). Quod vero duo crimina conjuncta erant in hac Alcibiadis causa, tempus reipublicae periculosissimum, ipse, qui deliquerat, clarus imprimis et potens in civitate vir, quem ex Atheniensium jure, quamdiu in imperio erat, *ἀσεβείας γραφῇ* persequi non licebat: deserenda videbatur ordinaria utriusque criminis persequendi via, delictum extraordinarium existimabatur, de quo cognosci et judicari non posset ex veteribus legibus. Crimen extraordinarium ad senatus populive cognitionem pertinebat, qui aut sibi ipsi judicandi munus sumebat aut, quod saepius fieri solebat, cognitionem ad heliasticum judicium rejiciebat. Atque haec quidem extraordinarii delicti ad senatum populumve delatio proprio nomine *εἰσαγγελία* vocabatur. cf. Schoemann. de comitiis pap. 180. sq. cf. Meier. Att. Proc. pag. 260. sq.

[12]) cf. quae Grote l. l. IV. pag. 181. ann. 115. de his animadvertit. cf. Hertzberg. l. l. pag. 220. sq. et pag. 292. sq.

essent. Quae illo tempore acciderint, quum in calamitate pater esset, iis potissimum imputanda esse, per quos ille exactus sit;[13]) nec obliviscendum esse, quanta ille, antequam in exilium

§. 16—21. ejiceretur, pericula Lacedaemoniis intulerit aut quanta post reditum beneficia in rempublicam contulerit. Revocatum enim eum esse, quum respublica, imperio populi abrogato, et propter civium inter se discordiam et pecuniae inopiam et propter hostium terra marique potentiam regis Persarum ope etiam auctam maximis in periculis versaretur; et tum quidem eum ita se gessisse, ut planum redderet omnibus, se non reipublicae sed inimicis suis adversatum esse neque quidquam nisi redire in urbem voluisse. Consuluisse enim eum, ne Tissaphernes pecunias suppeditaret Lacedaemoniis, et cavisse, ne socii desciscere pergerent; de suo eum militibus stipendia solvisse, libertatem populo restituisse, cives inter se reconciliasse, Phoenissas naves ad opem Lacedaemoniis ferendam paratas avertisse, plurimas denique de hostibus victorias reportasse, plurimas urbes aut vi expugnasse aut oratione ab illorum amicitia abstraxisse.[14])

§. 22. sq. Rerum patre duce gestarum se multas silentio praetermittere non dubitasse, quum fere omnes illas meminerint. Quoniam vero in privatam ejus vitam obtrectatores non minus vehementer invehi soleant, de moribus ejus studiisque, mentione majorum facta, sibi dicendum esse. Majores patris esse Eupatridas et Alcmaeonidas, et nobilitate et divitiis maxime conspicuos; hos praecipue (Alcmaeonidas) jam Pisistrati temporibus benevolentiam suam erga populum declarasse, quum exulare patria quam cives servitute oppressos intueri mallent. Per omne id tempus eos duces fuisse populi et infestissimos tyrannis. Tandem Alcibiadem et Clisthenem, patris proavos,[15]) ab exilio populum reduxisse et, tyrannis ejectis, democratiam illam constituisse, per quam Athenae ad summum gloriae fastigium evectae sint.

§. 28—30. Caritatem igitur populi jam a majoribus Alcibiadem accepisse, neque quidquam eum a virtute illorum degenerasse. Patre enim Clinia in Coronensi proelio occiso,[16]) eum tutorem atque educatorem habuisse Periclem temperantia, justitia, sapientia vel maxime insignem; deinde adolescentem cum Phormione in Thraciam profectum statim ita eluxisse, ut praemia fortitudinis (*τὰ ἀριστεῖα*) ferret;[17]) posterioribus temporibus eum, quotiescunque contra Graecorum for-

[13]) Vide quae Lysias in orat. XIV. c. Alcibiadem tali argumentationi opponit; cf. imprimis orat. nostr. §. 11. cum Lys. §. 31., nostr. §. 12—14. cum Lys. §. 32—34. e. a. l. Orationem Lysiacam anno 395. scriptam esse Falk. die Reden des Lysias pag. 178—181. probavit; nostram haud ita multo ante compositam esse infra demonstrabitur.

[14]) Quae Isocrates h. l. attigit, omnia accuratius explicare meum non est. cf. Thucyd. VIII. cap. 45. sqq. et Xenoph. Hellen. lib. I. cf. Plutarch. Alcib. cap. 25. sq. e. a. c. cf. Grote l. l. IV. pag. 347. ann. 65. quae ab Isocrate de consiliis ac contentionibus Alcibiadis h. l. allata sint, ineptissima ac perversissima esse judicantem.

[15]) §. 26: — *Ἀλκιβιάδης καὶ Κλεισθένης, ὁ μὲν πρὸς πατρὸς ὁ δὲ πρὸς μητρὸς ὢν πρόπαππος τοῦ πατρὸς τοὐμοῦ* etc. Minus accurate Isocrates Alcibiadem illum veterem proavum Alcibiadis paternum appellat, avus enim fuit; filios habuit duos, Cliniam et Axiochum, ex quibus Clinias Alcibiadem (ducem) et Cliniam minorem filios reliquit. — Alcibiadis avus maternus, Dinomachae pater, Megacles fuit, quem cum Alcibiade illo vetere ostracismo et bis quidem urbe pulsum esse testatur Lysias adv. Alcib. I. §. 39. et auctor orat. Andoc. adv. Alcib. §. 34. (cf. Meier. ind. lect. Hal. 1839/40 pag. 91.). Megaclis patrem Clisthenem illum, qui Atticam rempublicam legibus temperavit, fuisse Boeckhius evicit in Explicatt. ad Pindar. Pyth. VII. pag. 301. sq. Clisthenes autem et Hippocrates filii fuerunt Megaclis illius, Alcmaeonis filii (Herod. VI. 130.), qui Pisistrati temporibus amplissimas in republica partes agebat. — Accuratius de his omnibus Hertzberg. dixit l. l. pag. 53—59.

[16]) In lib. manuscr. h. l. lectio: „*ἐν Χαιρωνείᾳ*" exstat; „*ἐν Κορωνείᾳ*" rescribendum esse primus Wesselingius animadvertit ad Diodor. XII. 7. Mortem Cliniae in pugna illa apud Coroneam Tolmide Atheniensium duce Olymp. 83. 2. pugnata etiam Plato in Alcib. I. commemorat. cf. Plutarch. Alcib. cap. 1. De clade Atheniensium Coronensi cf. Thucyd. I. 113. Diodor. XII. 6. Plut. Pericl. 18.

[17]) Alcibiadem adolescentem in proelio aliquo apud Potidaeam commisso ad latus Socratis stantem fortiter pugna-

§. 31. tissimos exercitum duceret, ex omnibus pugnis prodiise longe superiorem. — Uxorem Alcibiadem duxisse Hipponici filiam; et hanc quoque eum cum dote maxima praemii loco propter eximiam virtutem accepisse, ceteris omnibus viris praestantissimis, qui nuptias illas ambirent, ab Hipponico posthabitis.[18])

§. 32—35. Circa eadem tempora patrem certaminis Olympici causa, quum despiceret gymnica certamina, equis alendis operam dedisse, et legatum (*θεωρόν*) ab Atheniensium civitate ad Olympia missum summam sibi ac civitati suae gloriam atque admirationem conciliasse quum victoriis reportatis tum splendidissima in sacrificiis aliisque sumptibus liberalitate ac magnificentia. Liturgiarum quoque, quas in urbe ipsa susciperet, splendore eum longe aliis antecelluisse.

§. 36—38. Quanta autem pater fuerit in populum benevolentia, ex eo optime posse intelligi, quod, quum ei non tantum cum paucis populo imperare sed etiam his paucis plus posse licuisset, injuria a civitate affici quam rempublicam prodere maluerit. Semper eum fuisse popularem; seditionum tempore eum bis ab oligarchicis populi inimicis pulsum esse. Enimvero multos civium ei infensos fuisse tanquam regnum affectanti, quum solus civium tanta potentia videretur esse, ut facillime eo potiretur. Quo majore laude ac gratia eum dignum esse, quod aequo jure cum ceteris in republica vivere voluerit.

§. 39—41. Alcibiadis fortunam quam artissime cum reipublicae fortuna vel secunda vel adversa semper conjunctam fuisse, et bonorum et malorum, quibus civitas afficeretur, partem maximam ad eum potissimum rediisse; florente republica eum fuisse omnium civium felicissimum, afflicta ea neminem spe majore vel pluribus opibus vel ampliore gloria esse orbatum. Postremo triginta tyrannis imperantibus eum tota Graecia exterminatum esse[19]) et Lacedaemonios et Lysandrum de eo perimendo maxime laborasse, quod, quamdiu ille viveret, securos se esse non posse intellexissent. Quae quum ita sint, dubitari non posse, quin Alcibiades civis optimus fuerit, summa erga populum Atheniensem benevolentia et in rebus secundis et in fortuna adversa insignis.

§. 42—44. Ab Alcibiade laudando orator ad obtrectandum adversario judicesque ad misericordiam sui vocandos se convertit. Patrem, ait, dissimillimum fuisse Charicli, Tisiae affini; servire enim ho-

---

visse et postea hujus commendatione fortitudinis praemia accepisse constat. Hanc primam fuisse Alcibiadis expeditionem orator noster docet. Pugnae, quae prope urbem Potidaeam Callia Atheniensium duce Ol. 87. 1. (a. 432.) pugnata est (cf. Thucyd. I. 62. sq.), et quam obsidio urbis secuta est, Alcibiades non interfuit, sed in numero 1600 hoplitarum (— 1000 hoplit. Isocrates numerat —), quos Phormio haud ita multo post Potidaeam duxit, ut urbs terra marique clauderetur (cf. Thucyd. I. 64.). Diodorus (XII. 37.) de continuis proeliis minoribus mentionem facit, quibus Phormio obsessos lacessiverit („*οὗτος δὲ* ——— *προςκαθήμενος τῇ πόλει τῶν Ποτιδαιατῶν συνεχεῖς προςβολὰς ἐποιεῖτο· ἀμυνομένων δὲ τῶν ἔνδον εὐρώστως ἐγένετο πολυχρόνιος πολιορκία.*“) Quae proelia etsi satis cruenta erant (Plut. Alcib. cap. 7.), tamen non tanti erant momenti, ut Thucydides ea commemorare deberet. cf. Hertzberg. l. l. pag. 39. cf. pag. 68. ann. 58. cf. Poppo. ad Thucyd. I. 63.

[18]) §. 31: *ὁ γὰρ πατὴρ αὐτῆς Ἱππόνικος* ——— *τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν ἐξ ἁπάντων κηδεστὴν ἐπεθύμησε ποιήσασθαι.* Plutarchus Alcib. 8. docet, duplicem apud scriptores narrationem de re uxoria ferri, alios ab Hipponico patre alios a Callia fratre Hippareten Alcibiadi in matrimonium datam memoriae prodidisse. Hipponicum scimus, quum Eupolidis fabula „*Κόλακες*“ docta est, Olymp. 89. 3. (a. 422.) jam non fuisse inter vivos. cf. Meier. in ind. lectt. aestiv. Halens. 1839. pag. 44. sq. Filius Alcibiadi ex uxore Hipparete anno 416 vel 415 demum videtur natus esse (cf. quae infra ad §, 45. dicentur). Qua ex re recentiores, quod sciam, omnes Dodwellum (Annal. ad Thucyd. VI. 30.) secuti conjecerunt, Hippareten, quam a patre Hipponico Alcibiadi desponsam esse noster praedicat, non ab hoc sed a Callia fratre ei in matrimonium datam esse c. anni 416. init. cf. Hertzberg. l. l. pag. 125. et pag. 140. ann. 60. et 61.

[19]) De his verbis, cf. Hertzberg. l. l. pag. 359. ann. 10.

stibus, civibus imperare hunc hominem voluisse; in exilio eum otium egisse, in patriam restitutum urbem afflixisse.[20]) Tisiam ipsum sub triginta tyrannis senatorem fuisse et ultro cives injuriis persecutum esse; tamen eum non pudere ea foedera violare, quorum beneficio ipsi in urbe manere liceat.

§. 45. sqq. Petere autem se a judicibus, ne se omni praesidio destitutum inimicis praedae esse patiantur, nam plus quam satis malorum se jam perpessum esse. A prima aetate se esse maximis calamitatibus afflictum; patre in exilium acto, matre mortua, vix quatuor annos natum se in vitae periculum propter patris fugam incidisse,[21]) postea urbe pulsum et bis re familiari spoliatum esse. Et nunc, opibus amissis, quum de tanta pecuniae summa in discrimen vocatus sit, non tantum de pecunia postulata sibi agi, sed an capite deminutum se in urbe vivere oporteat. Itaque orare se, ut justam sui misericordiam judices habeant neve Tisiam, de republica nunquam bene meritum, et in democratia et in oligarchia potentem esse, se ab utrisque injuriam accipere patiantur.

Restat, ut quaeramus, quo tempore haec causa acta videatur. Rejiciendum sane est, quod Bréquigny (Vies des anciens orateurs Grecs I. pag. 124.) affirmavit, orationem scriptam esse c. 383. a. Chr. anno Isocratis quinquagesimo tertio; falsum enim est, quod solum quodammodo fundamentum hujus sententiae ille ipse protulit, Alcibiadem filium, cui oratio scripta sit, eo tempore, quo pater ejus morti occubuit (a. 404.), quartum demum aetatis annum egisse (cf. l. l. pag. 116.). — Dixi supra Alcibiadem filium Olymp. 91. 1/2. natum videri; quod si verum est, apparet causam ante Ol. 95. 4. non esse actam. Litem enim suam ille in judicio ipse orare non poterat, nisi suae potestatis erat h. e. nisi inscriptus erat in catalogum illum, qui *ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* vocabatur, id quod duodevicesimo aetatis anno fieri solebat. Assentiendum videtur Kruegero, qui ad Clintoni Fast. Hellen. pag. 101. Ol. 96. 1. certe non multo ante orationem scriptam posuit.

---

[20]) Charicles, Apollodori filius, *ζητητής* erat una cum Pisandro (Andoc. de myster. §. 36.) tum quum de Hermocopidis quaestio esset, popularem se simulans strenuum. Olymp. 91. 4. triginta navium expeditioni praefectus est (Diodor. XIII. 9. Thucyd. VII. 20. cf. 26.), quo munere functus domum rediit. Quadringentorum tempore ab horum partibus stetisse videtur, sed non conspicuus inter eos fuit. His principatu dejectis quum solum mutasset, cum Lysandro revertit et inter triginta viros vehementissimae factionis cum Critia dux fuisse fertur. cf. Xenoph. Hellen. II. 3. 2. Memor. Socr. I. 2. 31. Aristot. Polit. V. 5. 4. Lys. c. Eratosth. §. 55. cf. Th. Bergk. Commentatt. de reliquiis comoediae Atticae. pag. 328. sq.

[21]) §. 45: *εὐθὺς μὲν γενόμενος ὀρφανὸς κατελείφθην, τοῦ μὲν πατρὸς φυγόντος, τῆς δὲ μητρὸς τελευτησάσης, οὔπω δὲ τέτταρα ἔτη γεγονὼς διὰ τὴν τοῦ πατρὸς φυγὴν περὶ τοῦ σώματος εἰς κίνδυνον κατέστην, ἔτι δὲ παῖς ὢν ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεσον.* Distinguitur h. l. aperte tempus, quo Alcibiades filius, *εὐθὺς γενόμενος*, patre in exilium pulso, matre mortua, pupillus relictus sit, ab eo, quo quatuor annus natus in vitae periculo fuerit. Hippareten mortuam esse tum, quum Alcibiades cum classe in Sicilia versabatur, verisimile est. cf. Hertzberg. l. l. pag. 126. pag. 140. ann. 63. Quartus Alcibiadis filio annus is videtur fuisse, qui proximus post cladem Siculam erat 413/412. Tum sane metuendum erat Alcibiadis proli Athenis relictae et populi insanientis furoribus obnoxiae; infensissimos enim tum potissimum Athenienses Alcibiadi fuisse, qui et belli auctor fuisset, antequam in exilium iret, et mittendi postea Gylippi et muniendae Deceleae et defectionis illius sociorum, probabile est; nec mirum, quod hoc anno filius, ut ipse fert, in capitis periculum incidit (cf. Lys. adv. Alcib. I. §. 17: *καὶ ὅτε μὲν παῖς ἦν καὶ οὔπω δῆλος ἦν ὁποῖός τις ἔσται, διὰ τὰ τοῦ πατρὸς ἁμαρτήματα ὀλίγου τοῖς ἕνδεκα παρεδόθη*). Quae quum ita sint, vel a. 416. extr. vel 415. in. Alcibiadis et Hipparetae filius natus esse et, triginta viris constitutis, puer 11—12 annorum videtur fuisse. cf. Dodwell. Annal. Thucyd. pag. 691.

Hermann Starke.